

Universitätsbibliothek Wuppertal

Danielis Chamieri Delphinatis Panstratiæ Catholicæ, sive Controversiarvm De Religione Adversvs Pontificios Corpvs.

Tomis quatuor distributum. : cum indicibvs necessariis.

De Homine Corrvpto et Instavrato

Chamier, Daniel

[Frankfurt], 1627

Liber vigesimus, De votis

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-885](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-885)

n. on preces: quis tamen non concessit, ut *ut vobis non sit vota illis facere: & non potius, Vota facere?* Dixit ergo Eusebius: *Ad eorum loculos vota facimus: locum designans in quo vota fierent, non eos autem quibus fierent.*

VI. Prudentij & Paulini, poetarum sunt testimonia. Quis autem nescit, quantus sit apud huiusmodi auctores vocabulorum abusus? Nec longe petenda exempla. Nam Paulinus idem natali tertio eundem Felicem Deum appellat. *Roma Petro Paulus, potens, rarefcere gaudet, Huius honore Dei.* Ab his ergo viris quis censcat exempla repetenda p[er] sermonis? Et tamen Natali quarto, tum meæ membranæ, tum editio Parisiensis legit: *Annua vota mihi redeunt.* Non ut Bellar, *Annua vota tibi.* Sed nec Prudentius expressit vota facta Sanctis; sed arenas confrequentatas votis: eadem mente cum Eusebio.

VII. Ne Palladius quidem vllum votum memorat Apostolis nuncupatum, adeo au[tem] infelix est aut parum pudens Bellarm. in testibus suis laudandis. *Is, inquit, pedestri itin. re. venit Romam, usque ad orandum in Martyrio Sanctorum Petri & Pauli: pervenit autem usque ad Alexandriam, cum voti- nisset, in martyrium venerandi asbleta Marci. Dignus autem inquit, sum habitus, qui voti gratia bis propriis pedib. venirem Hierosolyma ad honoranda loca sancta.* Votum bis audio: sed cur non Deo nuncupatum? non enim lego Sanctis nuncupatum: & me natura voticogit, ut illud potius animo, concipiam.

VIII. Gregorium Turonensem, inclinata iam ætate in adorationem Sanctorum, non excusor tantum obseruo voti nomine vsum materialiter: *vota, inquit promittentes.* Nam vota ipsa formaliter promitti non possunt; quia reapse & præceter nuncupantur: sed quæ materia est votorum, promittitur: ut sensus sit, polliciti sunt se ea quæ vota erant, ad Martinum delaturos: quomodo possunt quotidie vota promitti huic illiue mendico, si quis vouerit Deo se elemosynam largiturum.

IX. Alterum argumentum Bellarmini ab aduersariorum testimonio. Nam Faustus apud Augustinum libri vigesimi contra Faustum cap. 3. *Idola, inquit, vertit is in martyres, quos votis similibus colitis.* Ex quo Fausti testimonio discimus v[er]itatis in primitiua Ecclesia fuisse, ut martyribus vota fierent.

X. Itane æquum censet Bellarm. ut à Christianorum aduersariis, & calumniatorib. Christianorum mysteria cognoscenda petamus? Cur non ergo eidem Fausto credimus, apud Christianos sacrificia gentilium versa in agapas: idola in martyres; defunctorum vmbas vino placatas? Nam hæc omnia vno eodēq; ructavit spiritu Faustus, quo illa vota, futura Bellarmino firmissimæ demonstrationis loco.

XI. Contra. Primum Scriptura nullius voti meminit vnquam nuncupati cuiquam. nisi Deo: quod ne Papis quidem incognitum: quandoquidem Bellarminus nihil inuenit, quo inde suam thesin vel verisimiliter confirmaret. Quod ille nunquam omisit, qui solet nihil se indignum iudicare, quo possit lectorib. imponere. Nos autem hoc vrgemus, qui scimus, vltra id quod scriptum est non sapere. *Psal. 66. Vouete, & reddite Domino Deo vestro. Esai. 19. Vouebunt votum Domino & reddent, Pl. 50. Redde Altissimo vota tua.*

XII. Secundo: Omnis actus per se religiosus, Deo soli debetur. At Votum est actus religionis per se: ergo Deo soli debetur, ac per consequens, nihil in eo iuris esse potest vlli creaturæ. Maior est per se manifesta: quia religionis proprium obiectum est Deus. Augustinus de Quantitate animæ, c. post. *Est enim religio vera, qua se uni Deo anima, vnde se peccato velut abruerat, reconciliatione religat. De vera Religione ad finem, Religet ergo nos religio vni omnipotenti Deo: quia inter mentem nostram, qua illum intelligimus patrem & veritatem, id est lucem interiorem, per quam illum intelligimus, nulla interposita creatura est.* Lactantius libr. 4. cap. 18. *Hac conditione gignimur, ut generanti nos Deo iusta & debita obsequia præbeamus, hunc solum noverimus, hunc sequamur. Hoc vinculo pietatis obstricti Deo, & religati sumus, vnde ipsa religio nomen accepit.*

XIII. Assumptio tam certa est, ut Thomas q. 88. in 2. 2. art. 5. disputet, *Vouere esse proprie actum Latriæ ac religionis: Omne opus virtutis ad religionem seu latriam pertinet, per modum imperij, secundum quod ad diuinam reuerentiam ordinatur, quod est proprius finis latriæ. Ordinare autem alios actus in suum finem pertinet ad virtutem imperantem, non ad virtutes imperatas: & ideo ipsa ordinatio actuum cuiuscunque in seruitium Dei, est proprius actus latriæ. Manifestum est autem ex prædictis, quod votum est promissio quadam Deo facta: & quod promissio nihil est aliud quam ordinatio quadam eius quod promittitur in eum cui promittitur. Vnde votum est ordinatio quadam eorum, qua quis vouet in diuinum cultum seu obsequium. Et sic patet quod vouere proprie est actus latriæ sine religionis.* Bellarminus ipse c. 3. 4. de Monachis, Votum definiit, *Religiosam promissionem.*

XIV. Tertio: Quicunque votum definierunt, expresserunt non tantum promissionem, & promissionem religiosam: sed etiam factam Deo. Lombardus 4. dist. 18. *Votum est testificatio quadam promissionis spontaneæ, qua Deo, de his qua Dei sunt proprie fieri debet.* Thomas 2. 2. q. 187. art. 1. *Secundum quosdam, Votum est conceptio boni propositi cum animi deliberatione firmata, qua quis ad aliqui. faciendum, vel non faciendum se Deo obligat. Artic. 2. & 3. Votum est promissio Deo facta. Artic. 1. Votum est quadam promissio Deo facta. Et post, Votum est ordinatio quadam eorum, qua quis vouet in diuinum cultum seu obsequium. Mitto alios plurimos. Gregorius de Valentia, Vouere non modo apud sacros sed etiam apud alios Scriptores Latinos, idem est, atq; promittere Deo aliqui. cum quadam firmitate & obligatione. Et Deuteronomij vigesimotertio, Votum esse pollicitationem ac promissionem Deo factam, aperre in dicitur, conuenienter huic itaq; notioni vocabuli, atq; adeo Scriptura sacra & cõmuni sententia omnium post Votum describitur sic: *Votum est promissio Deo facta operis alicuius ad eiusdem Dei cultum.* Lenique Bellarminus ipse: Potest definiiri votum, *Religiosa promissio alicuius excellentioris boni, Deo facta, libera voluntate. Quæ omnia aut retexenda sunt tanquam falsa, aut concedendum vota nulla posse Sanctis nuncupari: quia alioquin peccaretur contra definitionem Voti.**

XV. Hæc argumenta duo à Voti natura, aliter soluit Thomas, artic. 5. quæstionis iam notatæ: aliter Caietanus in eundem: aliter denique Bellarminus. Thomas distinguit votum & promissionem: illud Deo fieri, hanc etiam homini: & posse tamen cadere sub votum materialiter, in quantum homo vouet Deo, se impleturum quod sanctis promittit.

XVI. Quam nos distinctionem facile admiserimus Reuera enim ita est: potest quis elemosynam pauperibus promittere: & eam promissionem confirmare voto: quod tamen non nuncupetur pauperibus ipsis, sed Deo. Ast hoc nihil ad hanc controuersiam: quæ quærit non de quacunque promissione, sed de voto, quod ipso teste Thoma, est promissio quadam. Deinde non purgat Papis: qui non hoc tantum modo vouent Sanctis: sed, eo, quo constat vota non materialiter, sed formaliter referri ad Sanctos, Et Caietanus, inquit Bellarminus, *probat ex ipsa professione Fratrum Prædicatorum, vota verè fieri Sanctis: nam dum profitentur, dicunt, Voueo Deo, & B. Mariæ, & omnibus Sanctis, me præcetero tali vel tali obediendum: vbi ex duab. promissionibus, vna dirigitur ad præceterum, & illa est materia voti: altera, qua est formaliter votum, ad Deum, & Sanctos simul.* Quanquam Thomas forte loquutus est ex sui seculi consuetudine. Nam idololatriæ non sunt iidem tunc termini, qui primo fære: creuit semper: itaque fortasse ille et si ordine Prædicatorum etiam ipse voti illam formulam non norat. Sed hoc alij viderint. Certe Hospinianus Benediclinorum formulam recitat, *In nomine Domini promitto.*

XVII. Caietanus ergo sperat se aliter soluturum. Quia Sancti sunt medij inter Deum & homines: medium autem vtriusque naturam sapit: ideo considerari interdum ut homines seu creaturas rationales, capaces secundum se honoris, & obedientiæ: alias, ut sunt Dij participatiue, imo ut in eis est, & honoratur Deus. Priori modo non fieri illis vota, nisi materialiter: sed altero tantum.

XVIII. Sed hæc solutio nihil habet sani. Primum, falso sumitur Sanctos esse medjos inter Deum & homines. Nam Augustinus contra Iudæos est, paulo ante citatus, ex de vera religione, inter Deum & mentem nostram nullam interpositam esse creaturam. Secundo, eadem distinctio, etiam viuis hominibus probaret vota nuncupari posse. Nam primo manifestum est, illud, *dixi, Dij estis*, Psalmo 82. intelligi de iis qui in terris sunt potest. Quare liceret voto honorare quencunque regem, aut principem. Tertio, eadem ratione deferri posset sacrificium creaturis aliquibus, non quatenus creaturæ essent, sed quatenus dii participatiue: æquè enim in iis sacrificaretur Deo, ut in iis blasphematur Deus: quod pro argumento Caietanus habet. Denique Thomas docuit non ipsum votum ordinari ad cultum Dei, sed ordinare potius reliqua. At qui cum Sanctis Deum colit, is ordinat Sanctos ad Dei cultum: non potest ergo in eo hac ratione votum esse: nisi dicas votum esse actum latriæ tantum imperatum.

XIX. Bellarminus sperauit sibi melius successurum. Non eadem ratione fieri votum Sanctis, & Deo: & solum votum, quod fit Deo, esse cultum latriæ. Deo fieri in signum gratitudinis erga primum principium omnium bonorum, & in recognitionem beneficii ab ipso tanquam à primo autore accepti, Sanctis vero, in signum gratitudinis erga mediatores, & intercessores, per quos beneficia Dei accepimus.

XX. Mitto quærare, vtrum vnus idemque & indiuiduus actus possit alia & alia ratione fieri. Sed hic sane quæstio est contractior: quæ non de Voto quæritur: sed peculiariter, de voto formaliter. Enimvero, si analogicè, ut post Bellarminus explicat, Voti nomen continet, tum votum ad Deum, tum votum ad Sanctos: ergo duas has esse oportet voti species, & formas. Itaque responderetur contra hypothefin, quæ ponit non tantum non aliam & aliam rationem, sed etiam eandem formam, siue speciem. Deinde, cum Votum formaliter constet, ex definitionibus allatis, fieri Deo: & vota præsupponantur fieri Sanctis: ergo hæc vota oportet non tantum ratione esse diuersa, sed etiam forma: aut non esse eam definitionem, Et si forma eadem, ergo nugatoria distinctio est.

XXI. Præterea, non satis quæstioni. Nam hoc ipsum quæritur, vtrum liceat vota fieri in signum gratitudinis in mediatores, per quos beneficia Dei accipimus: & non in agnitionem beneficii accepti à primo autore: quo modo, cum disputarunt Catholici, nulli sacrificandum esse creaturæ: ne socratem quidem exceperunt, gallum Æsculapio sacrificantem, quem tamen non agnosceret primum Deum: nimirum quia Sacrificium eximium est Deo, neq; præter Deum cuiquam offerendum. Eadem omnino Voti ratio est: quod probatur ex ipsa definitione, quæ difert non promissionem tantum, sed promissionem factam Deo dicit.

CAP. III.

Vtrum præcepta in votum cadant.

I. Quæ res sint vouendæ, nunc inquirendum. Primo, extra controuersiam est, peccata non esse vouenda: quomodo Actor. 25. *Quidam ex Iudæis deuouerunt sese, dicentes neq; esuras se neq; bibituros vsq; dum trucidassent Paulum.* Neque enim licet ditcedere ab obedientia legis: neque nostri est arbitrii pœna, quam merentur qui peccant. Itaque aduersus hæc vota, plena vis est huius sententiæ, *Maledictus, qui non permanserit in omnibus qua scripta sunt in lege.*

II. Quæ res autem peccata non sunt; quædam mediæ, quædam sunt per se bonæ. Mediæ, cum prout vsurpantur, possint per accidens malæ fieri: spero etiam non contradicuros Papis, ne has quidem vouendas esse, si fiant peccata. Exempli gratia, cum ieiunare per se neq; bonum sit, neq; malum, tamen peccatum Iudæi illi, non tantum cum vouerunt se occisuros Paulum, sed etiam cum eo vsque se ieiunatos. Sic peccasse credo Israelitas, qui Iudic. 21. iurauerunt, dicentes, *Nullus nostrum dabit filijs Benjamin de filiabus suis in uxorem*, quod fuit contra charitatem. Itaque & pœnituit eos postea: & cauillo eludere fuit necesse. Denique huic pertinet, quod & Bellarminus ponit, non esse vouenda, ne opera quidem bona, quæ tamen maiora bona impediunt.

III. Præterea res vel inuoluntariæ sunt, vel voluntariæ. Quæ inuoluntariæ, has constat non vouendas, Bellar. agnoscit, & distinguit, impossibilia: ut si quis se profecturum Hierosalem sine nauim necessaria, ut se moriturum, quando placuerit Deo.

IV. Itaque ad vota pertinent duntaxat quæ res voluntariæ sunt. Sed hæc

duum generum: alia arbitria, alia præcepta. Ille, quas pro arbitrio possumus vel facere vel omittere absque noxa: ut ire ad forum: edere carnes: terram fodere, aut arare: & mille eiusmodi. Hæc vero, quas etiam omittere possumus, vel facere, ex imperio voluntatis, tamen in alterutram partem non impune. Ut amare proximum, constat esse voluntarium: cum neque omnes ament, neque omnes oderint: imo iidem nec semper ament, nec semper oderint: & tamen esse necessarium ex præcepto, adeo ut qui non amet, debeat penas. Et hæc referuntur quæ cunque officij sunt præscripti, siue per legem generalem, siue per vocationem peculiarem.

V. Hinc iam controuersia sunt in utroque; capite. Nam genus id rerum, quæ ex præcepto legis necessaria sunt, nos asserimus sub voto cadere: & vere ac legitime uouendas esse, atque adeo promissionem, quæ fit ab iis qui baptizantur, vel ab hæreticis, qui Ecclesiæ conciliantur, verum esse votum. Quamuis contra sensisse videatur Petrus Martyr.

VI. Papistæ & thesin disputant, & post, hypothesin de Baptismo. In thesi variant, & asserunt quidam res à Deo imperatas proprie sub votum cadere, in quibus Dominicum à Soto Bellarminus refert, libri 7. de iustitia & iure qu. 1. art. 3. & Alphonsus de Castro libr. 1. de pœnali, cap. 10. Adde Caietanum in artic. 2. quæ. 80. in 2. 2. sine dubio, inquit, necessaria ad salutem possunt esse materia voti proprie dicti. Et Gregorium de Valentia, puncto 2. disputari, inquit, solet de operibus præceptis, utrum possint esse materia voti: ac dicendum est breuiter, ex sententia communi posse esse: & oppositum est scandalosus error in Ecclesiâ. Sed & Smythæum qui non licere Deo uouere, quod illi debetur ante omne votum, & qui nihil non deberi Deo asserat utrumque aperte aduersari sacrarum literarum locis compluribus, ac vota pœscorum omnia impugnare. Alii negant, ut Thomas, & Bonauentura, teste Bellarmino.

VII. Bellarminus, hos inter se pugnantem conciliaturus distinguit Duo bus modis posse fieri votum de re præcepta, vel cum intentione obligandi se etiam si res illa præcepta non esset: vel cum intentione solum acceptandi, & testificandi obligationem, quæ ante erat. Priori modo res præceptas cadere sub votum: altero minime. Et ita utroque vere dicere, tum asserendo, tum negando.

VIII. Sed hæc distinctio ridicula est: neutri enim parti satisfacit. Nam qui asserunt, nihil distinguunt; sed simpliciter pronuntiant, quæ præcepta sunt cadere sub votum: itaque intelligunt, quæ præcepta sunt, quatenus præcepta sunt: alioquin sensus esset, ea quæ præcepta sunt, quatenus præcepta non sunt, cadere sub votum: quod implicat contradictionem: quia de iis agatur: non quæ per se indifferentia, per accidens sunt bona vel mala: sed de iis etiam quæ per se bona, vel mala ut fornicari, quod adferunt in exemplum cadens sub votum eorum, qui continentiam profitentur: nam hoc ipso uouent se non fornicaturos: fornicatio autem non potest cogitari non præcepto cohibita. Itaque id certius ea ipsa, quæ præcepta sunt, ideo quæ ex vi præcepti necessaria in alterutram partem, vel virtutis vel vitij, cadere proprie in votum: ob eam ipsam considerationem, quod sunt præcepta.

IX. Hoc probamus, primo exemplis, deinde autoritate. Exemplum habemus in Scripturis, primum Iacobi, Gen. 28. *Vouit etiam votum, dicens, Si fuerit Dominus mecum, & custodierit me in via per quam ego ambulo, & dederit mihi panem ad vescendum, & vestimentum ad inueniendum: reuersusque fuero profertur, ad domum patris mei: erit mihi Dominus in Deum: & lapis iste, quem erexi in titulum, uocabitur domus Dei, cunctorumque, quæ dederit mihi, decimas offeram tibi.*

X. Lyranus, & post eum Caietanus, & Pèresius interpretantur, Iacobum uouisse, non simpliciter, Deum sibi futurum Deum: sed se culturum Deum speciali quodam modo: nimirum, tum consecrando locum cum diuino cultui, tum soluendo decimas: quæ duo capita non erant præcepto necessaria.

XI. Sed hæc subtilitas est contra textum: in quo tria capita distincte enumerantur: quorum primum, *Erit mihi Dominus in Deum*: itaque hoc ipsum æque cum reliquis uouetur. Et cur hoc, quæso cuiquam durum videatur, cum, ut omnes Gallicarum rerum historici tradunt, Clodoueus *Christum seruatore se professurum uoueret, si victor domum rediret? Vide Gregorium Turonensem historiam Francorum libr. 3. c. 30. & Paulum Æmilium in Clodoueo.*

XII. Bellarm. c. 16. esse votum de re non præcepta patet, quia alioqui peccasset Iacob faciendo votum conditionatum de re præcepta.

XIII. Respondeo non recte concludi: quia conditio quædam est incerta, & in utramque partem affirmandi & negandi: ut si Dominus dederit mihi panem, colam eum: at si non dederit, non colam. Hoc vero genus conditio nis impium est, & blasphemum. Sed non omnis conditio ita est, aliquando enim consequentiam duntaxat designat. Et hoc modo Iacob loquutus est: neque unquam induxit in animum oppositam partem. Itaque eius votum legitimum fuit.

XIV. Præterea Dauid Psal. 119. *Iuravi, & statui custodire iudicia iustitiae tue.* Bellarminus commentario in eum locum, *Propheta iurat, & statuit, id est firmissime apud se constituit, custodire ipsam legem, quam uocat iudicia iustitia, id est, iudicia iustissima.* Et si autem non exprimitur voti nomen, tamen nihilominus votum est. Quia promissio fit Deo, non autem vllis hominibus: & est promissio non simplex, sed confirmata iuramento, ideoque facta in nomine Domini. Vnde & votum, atque promissio, nimirum facta Deo, conuertuntur; Numer. 30. *Si quis virorum votum Domino uouerit, aut se constrinxerit iuramento, non facit irritum uerbum suum, sed omne quod promissit, implebit.* Ps. 132. coniunguntur votum & iuramentum, *Memento, Domine, Dauid, & omnis mansuetudinis eius: sic iurauit Domino, votum uouit Deo Iacob.* Gregorius Moralium libr. 3. 2. c. 4. *Iuramentum proferre, est uoto nos diuina seruitutis alligare.*

XV. Tertium exemplum i. Samuelis i. Annæ postulantis à Deo filium, *Votum uouit, dicens, Domine exercituum, si dederis serua tua sexum uirilem, dabo eum Domino omnibus diebus uita eius, & nouacula non ascendet super caput eius.* Prius eius voti pars est ex præcepto. Nam Samuel erat Leuita: Pater ex c. 6. i. Chronicorum ubi Samuel locum habet in genealogia Leuitica. At omnes Leuitici masculi Deo erant sacri Num. 3. *Ego tui Leuitas à filiis Israel, & uocatus sum à me.*

XVI. Autoritas Augustini disertata in Psalm. 75. *Vouete & reddite Domino Deo uestro omnes communiter.* Quid debemus uouere? Credere in illum sperare ab illo uitam eternam: bene uiuere secundum communem modum. Est enim quidam modus communis omnibus, furum non facere, non castimoniali præcipitur, & nupte non præcipitur: adulterium non facere, omnibus præcipitur: non amare uolentiam, quæ ingurgitat animam, & corrumpitur in se templum Dei, omnibus aequaliter præcipitur: non superbire, omnibus aequaliter præcipitur: non hominem occidere, non odisse fratrem, non aduersus aliquem tenere perniciem omnibus in communi præcipitur. Hoc totum omnes uouere debemus. Sunt etiam uota propria singulorum. Alius uouet Deo castitatem coniugalem, ut præter uxorem suam non nouerit aliam: sic & facina, ut præter uirum suum non nouerit alium. in Psalm. 131. *Quid ergo uouemus Deo, nisi ut simus templum Dei? In sententiis selectis ex Augustino, sent 15. Quisquis bene cogitat, quæ uoueat Deo, & quæ uouendo perfoluat, seipsum uoueat, & reddat. Hoc exigitur, hoc debetur: imago Caesaris reddatur Deo.* De tempore sermon. 7. *Si quis consuevit iam longa diurnitate in luxuria uoluari, respicit aliquando, & excusat sordes suas per compunctionem, & clamat in corde suo, in oratione secretius ad Dominum. Pissime Domine, misericordissime Deus, sufficit mihi quod hucusque peccaui, quod contempsi, quod factoribus carnis meæ satisfeci, iam nunc te inspirante uoueo me à nequitia mea conuersurum. Cum hæc fecerit, & iste obtulit votum.* Inde Confessionum 9. 1. *Insinuasi per literas antistiti tuo, uero sancto Ambrosio pristinos errores meos, & præsens uotum meum: id an te dixit feruire Deo.*

XVII. Bernardus de Modo bene uiuendi, serm. 62. *Communia uota sunt ea, quæ in baptismo promissus: scilicet, ut non peccaremus, & ut diabolo, & operibus eius abrenunciemus.* Autor Commentariorum in Psalmos Hieronymi nomine, in Psalm. 21. *Vota Ecclesiæ, opera bona.*

XVIII. Bellarminus respondet, Augustinum voti nomen accipere, largo & communi modo, ut non solum comprehendat uota proprie dicta, sed etiam quamlibet aliam promissionem.

XIX. Hoc ille pro sua autoritate: sed nos pro nostra, definimus in oppositum: propriam illam esse voti & veram definitionem. Et nec quamlibet promissionem complecti, sed illam, quæ sancte fit Deo, id est, votum. Et habemus Caietanum consentientem, *Nec putes me contradicere auctori in tricesimam octauam distinctionem quarti, ubi uotum de necessariis ad salutem non proprie, sed communiter uotum esse dicit. Quoniam, ut ibidem patet, a quo uocamus de proprio. Nam nos accipimus in proposito ly proprie, ut distinguitur contra transumptiue, ut de nos at ipsam essentiam uoti: quia scilicet ibi saluatur essentia uoti. Auctorem autem ibidem accipit proprie, non ex parte essentia uoti, sed ex parte materia uoti: & ut distinguitur contra commune similiter ex parte materia: & uocat uotum communiter, quia obligat ad ea, ad quæ communiter homines tenentur.*

XX. Obicit idem, Primum, uota spontanea ac uoluntaria esse debent, non necessaria. Hoc probat ex Deuteronomio 23. *Si nolueris polliceri, absque peccato eris.* Secundo: Votum est lex quædam priuata, & obligat more legis: sed lex communis obligat etiam nolentem, & inuitum: votum autem est lex, quam nos ipsi nobis fecimus: & proinde non obligat, nisi eum, qui sponte votum fecerit.

XXI. Sed spontaneum, uoluntariumque non opponitur simpliciter necessario: ut nullum necessarium sit uoluntarium. Nam contra uoluntaria dicitur obedientia, quam lex exigit: non enim hæc imponitur nisi libero arbitrio, ut ipsi docent Papistæ Sic Psalm. 40. *In capite libri scriptum est de me, ut facerem uoluntatem tuam, Deus meus: Volui, & legem tuam in medio cordis mei.* Porro quæ uerba sunt ex Deuteronomio, non sunt uniuersaliter intelligenda, de quo cunque uoto: sed de eo genere uotorum, quorum materia est indifferentis.

XXII. Votum omne esse legem priuatam, potest concedi, si votum formaliter dicas. Nam id uerum, etiam si concipiatur de rebus, quæ per legem communem sunt necessaria. Et si enim omnes teneantur credere in Christum, tamen votum meum, quo ego promitto me crediturum, neminem obligat præter me unum. Itaque nihil obstat, quominus sit lex priuata. At uero si uotum materialiter dicas: saluum est, omne uotum esse legem priuatam: & Augustinus diserte negauit, in Psalmum 75. *Est quidam modus communis omnibus, sunt etiam uota propria singulorum: quod probarunt multi Scholastici.* Lombardus lib. 4. distin. 38. *Sciendum, quod uotorum aliud est commune, aliud singulare. Commune, ut illud quod in baptismo omnes faciunt, cum sponte renuntiare diabolo, & pompis eius. Singulare, ut cum aliquis sponte promittit seruare uirginitatem.*

XXIII. Rursus obicit: cum non sit illo modo necessarium, neque etiam admodum uile, de iis rebus, quæ sunt in præcepto, uota facere, non est creditibile Deum uouisse, ut omnes fideles ad eiusmodi uota facienda obligarentur. Non esse admodum uile probat, quod uota de rebus non præceptis ideo laudabiliter fiunt, præter alias causas, ut homo eo modo firmius & stabilius perseueret in bono opere iam concepto. Cum igitur ad opera legis facienda satis ligati sumus ex ipsa lege, non opus est noua uincula quætere, ne occasionem grauius peccandi nobis ipsi sine magna utilitate procureremus.

XXIV. Non est, inquit, illo modo necessarium: neque etiam admodum uile. At nos contra non tantum uile, sed etiam necessarium: quia obedientia nulla esse potest nisi uoluntaria: & tamen eandem necessariam esse oportet: Atqui uotum utrumque habet, ut sit & uoluntarium & necessarium. Itaque non potuit quicquam magis esse & uile & necessarium huic obedientie, quam uotum. Scilicet hoc aliquis credat, nec necessario, nec uiliter iurasse Dauidem se seruaturum mandata legis. Sed inquit, satis ligati sumus ex ipsa lege. Recte, inquam, ut teneamur facere, & puniamur, si non faciamus. At non ut faciamus: alioquin omnes homines facerent: quia omnes æque obligantur per legem. Mestrum sermonis, occasionem sibi grauius peccandi proeurare, qui uoueat se præstaturum quæ Deus exigit. Grauius peccare, qui non præstat, quod uouit, nemo negat: sed uouendo occasionem peccandi procurare, hoc uero quis capiat sanus? Tum, si metus iustus est, cur profitemur Christianitatem? Nam, ut distinguant vel maxime promissionem à uoto, tamen certum grauius peccati post promissam Deo fidem. An ergo, vel grauius peccandi occasio-

ciem dicas, quomodo cultus Dei erat Iudaicus, cultus Dei est Christianus: addamus, quomodo cultus Dei dicebatur Nazarinus, & dicitur apud Papias, Benedictinus, Franciscanus, & similes: hoc vero Calvinus impugnat: & negat, quicquam in Ecclesia Christiana vouendum similitur, prater illud ipsum votum commune & generale, quod vouemus in Baptismo.

VI. Quod si actum dicas potius, tum vero repetenda distinctio est, voti formaliter nominati, & materialiter. Nam Calvinus non negat, votum formaliter, esse vere & proprie cultum Dei: immo diserte asserit, Longe, inquit, maiorem in votis obseruantiam esse decet, quae ad ipsum Deum, cum quo maxime serio agendum est, diriguntur. At votum materialiter si dixeris, tum vero negamus omnes, votum de re non praecipere posse dici vere & proprie cultum Dei: sed tantum per accidens: nimirum, quatenus ordinatur per votum formaliter, ad cultum Dei. Itaque ne hoc quidem Calvinus unquam dixit, quod fingit Bellarm. *Vota de rebus non praecipere non posse fieri ad colendum Deum: nam ea etiam dicuntur fieri ad colendum Deum, quae etsi non per se & proprie, tamen per aliud & subordinate referuntur ad Deum colendum: Quomodo in vita humana, & politica: nihil est, quod non referatur ad corporis huius alimentum: vt caedere ligna & lapides: quia ex eo labore comparantur ea quae proprie & per se corpus alunt.* Itaque, *Si quis vel obliuiois sit, vel piger, inquit Calvinus, ad necessaria pietatis officia, cur non suscepto voto, & memoriam expergefaciat, & pigritiam excutiat?* Et vero audierat ille pridem a Paulo I. ad Cor. 10. *Sine editis, siue quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.*

VII. Sed Bellarm. primum vota intelligit materialiter. Nam in definiendo, non votum dixit, sed id quod fit ex voto: puta, ipsum illud non bibere vinum: ipsum illud mendicare stipem, si fit ex voto. Deinde non dixit posse fieri ad colendum Deum, sed esse vere & proprie cultum Dei: nimirum existimamus, non id quod nos dicimus, conferre hanc vota ad pietatem: sed longe durius, ipsa esse pietatem. Denique Papias disciplina, atque ipsa de Monachis Bellarmini disputatio, ostendit cultum hic Dei nominari, non pro actibus singularibus pietatis: sed pro specie: nam inde illis varia nominantur Religiones, Benedictinorum, Franciscanorum, Dominicanorum, quae inter se plurimum differunt, nec differunt, nisi arbitrariis votis hisce de rebus.

IX. Quare hic denique status est quaestionis: An vota de rebus arbitrariis nuncupata, quatenus materialiter nominantur, sint vere & proprie, vel species pietatis, vel actus. Hanc thesin Papias affirmant: Catholici negant. Argumenta illorum examinemus, quae apud Bellarminum.

IX. Primum: Vouere est actus religionis: ergo & reddere, siue implere votum, siue id fiat de re praecipere, siue non praecipere. Probat antecedens. Etiam 19. *In illo die cognoscet Aegyptij Dominum, & colent eum in hostiis, & muneribus, & vota vouebunt, & soluent.* Tum autem, *Voti natura est, vt rem alioqui non ordinatam ad Dei cultum, ordinet ad Dei cultum, iuxta illud Deuter. 12. & iugitum sanctificaueris, & voueris.* Denique quia fatetur Calvinus, vouere esse officium religionis. Probat consequentiam. Nam promittere, & soluere ad eandem virtutem pertinent. Sed per id quod fit ex voto, etiam si non praecipitur, impletur votum: ergo & per id colitur Deus.

X. Respondeo, non concludi quaestionem. Cum n. quaeratur, verum id quod fit ex voto, puta comedere pomum, sit vere & proprie cultus Dei: tum vero concluditur: ipsam voti redditionem esse actum religionis. Atqui, quomodo vouere aliud est, ab eo quod vouetur, sic & votum reddere. Etenim & vouere & reddere, actus sunt religionis eliciti, vt vocantur: quia per se & proprie sunt religionis: at actus qui vouetur, non nisi imperati: quod patet ex ipsis Bellarmini verbis, qui voti esse dicit ordinare ad cultum Dei, ea quae non sunt ordinata. At haec non possunt pertinere ad cultum Dei proprie, sed tantum per accidens: multo minus speciem constituit cultus diuini.

XI. Argumentum secundum. Omne votum est promissio Deo facta: Ergo votum quocumque implere, est fide Deo seruare. At seruare fidem, est Deum immediate colere, & honorare. Argumentum tertium: Omne iuramentum est cultus Dei. At adeo similia sunt vota & iuramenta, vt in scripturis saepe iuramentum sit pro voto. Ergo votum est cultus Dei.

XII. Eadem solutio cum praecedente. Nam maior vera de voto formaliter tantum. Etenim votum materialiter, puta cingulam cannabum, non est promissio Deo facta. Patet ex argumento tertio: Neque eadem homonymia in iuramento obtinet quae in voto: vt iuramentum dicatur id ipsum de quo iuratur. Itaque, etsi verum, omne iuramentum esse cultum Dei: tamen falsum, omne id de quo iuratur, puta soluere agri pretium, esse cultum Dei. Unde magis arguitur sophisma prioris argumenti: nam vt vouere & soluere votum: sic iurare, & implere iuramentum, ad eandem virtutem pertinent: & tamen, vt dixi, non quicquid est materia iuramenti, idem est cultus Dei.

XIII. Quartum: Soluere ex voto aliquid non praecipitur, sed tamen bonum, falsis diis, est peccatum, & non aliud quam idololatriam. Ergo soluere Deo vero ex voto rem eandem, est actus latrae.

XIV. Respondeo, prater idem sophisma, quod est in praecedentibus cum de voto concluditur, non de eo quod votum est, peccatur iterum in consequentia. Non enim id tantum peccatum est, cum soluitur id aliquid ex voto: sed etiam cum offertur non ex voto: & peccatum id est id latrae. An ergo etiam caputium gestare sine voto, in honorem Dei, est opus latrae proprium?

XV. Quintum: Si quis voueat abstinere per triduum, & non faciat, sine dubio peccat: nec peccato tamen intemperantiae: Ergo, quia Deum afficit iniuria, non seruando illi fidem. Quare, si abstineat, Deum honorat.

XVI. Concedimus omnia: quia extra thesin. Immo, si non bibere vinum triduo secundum votum, esset vere & proprie cultus Dei: qui biberet, non tantum peccaret, quod non seruaret fidem, sed etiam quod biberet: quemadmodum quia sperare in Christum est proprie & vere cultus Dei, peccant bis Christiani, qui non sperant in Christum, & quia non praestant, quod vouerunt in baptismo, & quia non sperant. Cum igitur non bibere vinum eo triduo, non sit proprie peccatum, sed tantum per accidens, ergo neque proprie sed per accidens est cultus Dei: ac proinde nec species cultus Dei: sed tantum vnus aliquis actus imperatus a cultu Dei.

XVII. Sextum: Omni actu virtutis, etiam non praecipitur, nec ex voto, sed

Tom. III.

facto tamen propter Deum, colitur Deus: ergo multo magis; si ex voto. Antecedens probatur: primo ex Scriptura, Lucae 2. Anna dicitur *Repleta sum acceptis ab Epaphrodito, quia misisti in odorem suauitatis, hostiam placentem, & acceptabilem Deo: Ad Hebraeos ultimum: Beneficentia & communionis nolite obliuisci: talibus enim hostiis promeretur Deus. Iacobi 1. Religio munda apud Deum est, visitare pupillos & viduas.* Secundo ex Patribus: Tertullianus de Resurrectione carnis, cap. 9. *Sacrificia Deo grata, conflictationes, dico, anima, ieiunia, & serus & aridas escas, & appendices huius officij, sordes.* Hieronymus prior in Iouinianum, *illa virginitas hostia est Christo, cuius nec animum cogitatio, nec carnem libido maculauit.* August. de Bono viduitatis c. 9. de continentia loquens, *nulla Christo subtrahatur oblatio.* Decimi de Ciuitate Dei 6. *sacrificium vocat omne opus bonum propter Deum factum.* Certum est autem sacrificium proprie cultum esse Dei.

XIIX. Recte, inquam: nisi oblitus esset quaeri, vtum eo quod fit ex voto, vere & proprie Deus colatur. Atqui sic antecedens est falsum. Nam actibus multis virtutum colitur Deus, non per se & proprie: sed tantum per accidens: & vt distinctius loquar: non colitur Deus, quia vestitur egenus nudus, sed contra potius vestitur iste, quia ille colitur: Sunt enim huiusmodi actus virtutum, effecta religionis: ideoque differunt ab ipsa religione: nec proprie dici possunt religio. Ita olim ad me Cotonus scribebat: *Religio, virtus cum sit, proprie quidem ipsa est, quae Deo cultum debitamque reuerentiam exhibet: verum, quoniam reliquis ipsa quoque virtutibus imperat, suas vt illa actiones exercent, easque dedicunt & consecrunt Deo, hinc fit, vt religioni attribuantur, quicquid illa praescripserit, ac ceteris virtutibus imperarit.* Audiam religionem esse proprie, quae cultum exhibeat Deo: Ergo non proprie, inquam alia virtutes cultum exhibent Deo: ideo neque earum actus sunt proprie cultus Dei: ne tum quidem cum imperantur a religione. Eadem mens Caietano, in illum Iacobi locum, *Religio proprias actiones habet diuini cultus: imperat autem opera misericordiae, eo modo quo vna virtus imperat alteri.* Hoc hic nota religionis actiones, & proprias quidem actiones, distingui ab actibus imperatis. Vnde necessaria collectio, imperatos actus, non esse proprias religionis actiones: at si proprie sunt cultus Dei, oportet esse proprias religionis actiones.

XIX. Neque contra probant aut Scripturae loci, aut Patrum, qui recitantur. Nam vt locus ille Iacobi, tum a Caietano, tum a Cotonus, exponitur de actibus imperatis, ac proinde non propriis ipsius religionis, sic & reliqui debent. Enimvero Cotonus de Sacrificio, sic ad me, *Nos enim, id est, veritas fidei, preces, honores, cultus eiusmodi, nimirum quae Sanctis deferunt Papias, & deferre videri volunt ex imperio religionis: nam ita praetereunt: sed has ergo preces, hos honores, hos cultus veritas fidei, sacrificiorum censu ac familia abiudicat.* *Sacrificium verum, peculiarem & certam esse actionem statuit, quae debetur Deo cultus reddatur.* Eandem rationem quis neger aliorum omnium actuum similitum, id est, imperatorum? Vide ergo argumenti Bellarminiani formam: Omne sacrificium est proprie cultus Dei. At conflictationes animae, escae serae & siccae, virginitas, sunt sacrificia. Ergo isdem proprie Deus colitur. Atqui Cotonus, quae subsumuntur omnia, sacrificiorum censu abiudicat: imo veritatem fidei abiudicare testatur. Non potest ergo conclusio esse nauca.

XX. Septimum: Votum de re praecipere non est verum & proprium votum, nisi quatenus res illa concipitur, vt non praecipere. Igitur vel votum de re non praecipere cultus Dei est: vel nullum votum est cultus Dei. Sed hoc est falsum: Ergo & illud.

XXI. Respondeo, hypothesein esse falsam: quia probatum c. 3. votum fieri posse de re necessaria necessitate praecipere. Itaque, etsi votum de re non praecipere, non sit proprie cultus Dei: tamen nihil obstat, quominus aliquod votum sit proprie cultus Dei. Et tamen ne nunc quidem thesin concluditur. Nam votum de re non praecipere, dicitur formaliter, non materialiter: vtumque enim exprimitur distincte, & votum, & voti materia, res non praecipere. Quomodo, cum dico, iuramentum de pretio agri numerando, insinuat manifesta distinctio inter iuramentum, & pretium numerandum. At nos iam saepe testati sumus, agnoscere coli Deum proprie voto formali: etsi negemus, proprie coli re ea, quae voto concipitur: quomodo certum, coli Deum iuramento: nec coli tamen proprie numerato pretio.

XXII. Octauum: Si votum de re non praecipere, non est cultus Dei: ergo nec ipsum vouere absolute est cultus Dei: nam ipsum vouere nunquam est praecipere. At consequens falsum, & contra ipsum Calvinum, docentem vouere esse actum religionis.

XXIII. Facilis nodus. Nam cum votum de re non praecipere, manifeste distinguit votum a re non praecipere: ergo tunc votum sumitur formaliter: at votum formaliter, & vouere idem sunt omnino. Atqui nos votum formaliter, profus omne, etiam de re non praecipere, imo prohibita, agnosceimus esse cultum Dei: Nihil ergo aduertum nos concludi potest, ex hypothese non tantum falsa, sed ne a nobis quidem concessa. Praeterea ipsum vouere non esse praecipere, alienum est a vero. Enimvero, si vouere est proprie cultus Dei, vt & Papias asserunt, & nos consentimus. Certum si cultus Dei praecipitur est, & vouere erit praecipere, quomodo & iuramentum. Praeterea cur negat praecipere, qui legit Psal. 16. *Vouete, & reddite Domino Deo vestro.*

XXIV. Nonum ab exemplis. Gen. 28. *Votum vouit Iacob, Si fuerit Dominus mecum, erit mihi Dominus in Deum, & lapis, iste, quem erexi, vocabitur domus Dei, cunctorumque, quae dederit mihi, decimas offeram tibi.* Hoc votum fuit de re non praecipere. Item Pl. 132. *Dauid Votum vouit Deo Iacob: nempe se aedificaturum templum.* At hoc se Deus negat praecipere 2. Samuelis c. 7. & laudat eius voluntatem. Denique omnia vota quae leguntur in scripturis, Leuitici 27. Numerorum 35 Deuter. 12. & 23. vota erant de rebus non praecipere: & tamen placuerunt Deo, quia seuerissime solutionem exigebat.

XXV. Respondeo, ne nunc quidem concludi thesin. Primum enim nostra disputatio est de votis in Ecclesia Christiana: at haec vota sunt eorum ante Christum. Est a. certum longe aliam fuisse rationem cultus diuini ante Christum, & post Christum. Quare, etsi illa vota de rebus non praecipere pertinuerint proprie ad cultum Dei, non sequitur tamen, quicquid fit ex voto, esse proprie cultum Dei. Secundo, ne illud quidem probatur ea vota

de re-

ferarum consortium non pertimescant: herba pascuntur, pello carnis pro operimento utentis algore noctis, & calore solis in modum Aethiopi denigrat, velut tympanum obrigescent: atq; terreno habitaculo in terra positi includi de dignantur, tectiq; caeli tantum utentes, non se tam homines, quam caelestis curia contubernales esse demonstrant.

IX. Cœnobitis paulo maior humanitas, aut si non hæc maior, certè minor fœditas: nam etsi secularium familiaritati renuntiare profiteantur, tamen inter se saltem familias instituunt, & communitatem colunt, qua intra urbium septa: qua in pomæriis: qua in agris: sed vix tamen, nisi locis cõmodissimis, & amœnissimis, atque adcomagnificentia, cum palatiis regum certantib. Capir hoc Cœnobiticum genus vtrumque sexum, separatis caulis, siue Monasteriis. Maribus, Monachorum, & Fratrum, vel Patrum: Fœminis Monacharũ, Nonnarum, Sororum nomina sunt. Nec libet ulterius examina dinumerare: neque vero institutum meum patitur. Cariosis huiusmodi lusus, cumulatissime satisfecit Hospinianus.

X. Catholicis nulla cognita est membrorum Ecclesiæ distractio, tantum distinctio populi & præsidum, siue laicorum & clericorum. Ac ne hæc quidẽ, varios describens religionis status: sed tantum officiorum genera. Nam alioquin vnam eademq; omnib. religionis perfectionem esse propositam: neq; his quidem adeptam, aliis adipiscendam: sed omnib. pro scopo, ad quẽ tendant imper, nunquam obtineat, nisi cum regnabitur in cœlis, vbi Deus erit omnia in omnib. Itaque, nulli separandam contemplationem ab Actio ne: sed omnib. ita contemplationi vacandum, vt simul eius profectum operibus testentur, ad vtilitatem proximorum.

XI. Esse quidem ad eam perfectionem tendentium varios gradus, incipientium, & proficientium: firmorum, & infirmorum: puerorum, & virorũ sed in eodem omnes religionis proposito: quo nimirum, quantumcunque est Christianorum, tum marium, tum fœminarum, obligentur amando Deo ex toto corde, tota anima, totis virib. ideoque amouendis omnibus obstaculis, qua cunque tandem illa sint. Esse autem nulla à reb. arbitrariis, nisi per accidens: sed per se in se concupiscentiis malis, etiam iis, qua circa res externas versentur. Itaque omnes Christianos æque tenere, his concupiscentiis renunciare, & tanto magis abesse ab officio Christiani, quanto minus renunciarint. Quare hanc institutarum religionum historiam non esse, nisi à nimia ignoracione veræ Christianitatis.

XII. Disputabo prius de Votis illis Substantialib. Paupertatis, Obedientia, Continentia. Post de ipsa Religionum professione: & in ea de Origine huius vitæ: tum de comparacione hodiernorum Monachorum & Veterum.

C A P. VIII. ||

De Paupertate.

I. Paupertatis votum primo sese offert loco in disputationibus Bellarmini. Hanc constituunt in voluntaria renuntiatione bonorũ; siue diuitiarum: quomodo olim ille apud Ethnicos Philosophus, quicquid habuit in mare proiecit, vt liberius sapientia vacaret.

II. Sed Paupertatis ratio gemina, alia proprietatis, alia communitatis. Proprietatis paupertas, ea est, qua quæque priuat rerum dominio. Communitatis verò, qua non singulos tantum, sed etiam omnes: adeo vt non tantum nihil habeant suum Monachi, sed ne eorum quidem ordo. Et hinc ania multiplicandæ paupertatis, in Altam altiozem, altissimam: his enim nominibus distinguuntur, in Io. 22. Extrauagante. *Quia quorundam, Altam paupertatem esse habere pauca propria propter Deum, altiozem, qua nulla habet propria, tamen habet in communi: altissimam, qua nihil habeat in hoc mundo, nec in proprio, nec in communi.*

III. Hinc ergo alij ita professi sunt paupertatem, vt in communi tamen liceat esse diuitibus: cuiusmodi sunt Benedictini, Cluniacenses, Cistercienses: Carthusiani, atque alij, qui non inter se tantum: sed etiam cum sæculi principibus diuitiis certant. Alii non tantum in communi diuites esse possunt: sed etiam peculii habere proprii non nihil: puta, qua res pertinent ad victum, cultumque corporis: vt Carmelita, & Augustiniani: & Equites. Denique, & in proprio, & in communi nihil esse suum maluerunt, ne ea quidem vestimenta, quib. carnem tegunt: cuiusmodi Franciscani fuere omnes. suis initiis: non omnes tamen hodie: sed Minimi, Capucini, Recollecti, & si qui alij. Petro, qui secundi sunt, & tertij ordinis, Mendicantes dici solent, quia victum sibi ostiatim emendicant.

IV. Iesuitarum ordinem audio omnes illos gradus paupertatis assumpsisse: distinctis domib. & collegiis. Nam domib. aiunt impositam esse eam paupertatem, qua nec priuatum, nec commune agnoscat rerum dominium: Collegiis autem licet vndique opes corrogare: Ego tamen, vt verum fatear, Iesuitam nullum vnquam mendicantem vidi. Quia ni fallor, frequentiores in collegiis sunt, quam in domibus.

V. Nos paupertatem proprie intelligimus, non carentiam rerum, sed indigentiam. Est a. indigentia, opposita non tantum dominio, sed etiam, & quidem propria sui ratione, vsu. Non habuit vestes Adamus ante lapsum: nec tamen indigeis vestium. Non habent multi populi aurum & argentũ, qui tamen pauperes non censentur. Postea tamen paupertate, fatemur productam ad significandum habitũ illum virtutis, qui & auaritia opponitur: qua semper inhiat diuitiis: neq; vnquam sibi satis esse permitit: & molliciti, qua non potest pati sibi deesse qua necessaria sunt huius vitæ commodis. Et ita credimus in Euangelio laudari pauperes spiritu.

VI. Hoc posito, censemus posteriori notione paupertatem esse verè virtutem, ac proinde gratam Deo: sed & vouendam. Vouendam autem, non à paucis quibusdam, sed ab omnibus omnino Christianis, adeo, vt eam qui non voueat, quiq; non præstet, peccet, & in se, & in Deum. Itaq; hoc paupertatis genus, negamus esse arbitrarium: quia præceptum.

VII. Alterum vero concedimus posse arbitrarium esse. Sed nec virtutem esse, tantum per accidens, actum virtutis, ac proinde non semper: nec vouendum Deo, tanquam statum vitæ, imò contra potius Christiano impositam esse legem, vt ne omnium rerum dominio exsuar se: sed acquirit eorum saltem rerum, sine quibus non possit vitam com modè transigere.

VIII. Eos, qui paupertatem vouent propriam, at non communem, im-

puenter & hominibus imponere, & Deo illudere: vt qui paupertatem separent ab egestate: atque adeo opposito nomine, dissimulent maximas, easque commodissimas diuitias, quibus abunde fruuntur, absq; labore & cura: Quamquam ne, Mendicantes quidem, non sibi ipsa illa mendicitate prouisum sperant, vt quod seculares laboriosi vix comparant, ipsi confumant otiosi. Qui omnes debuerant illud ab initio vsurpatum in memoriam reuocare. *Pauper enim non est, cui rerum suppetit vsus.*

C A P. IX.

Argumenta Papistarum pro paupertate votiua.

I. Vouendam esse paupertatem sic probant. Argumentum primum, ex 5. secundum Matthæum, *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum caelorum.* Pauperes tribus modis intelligi: primo afflictos: Psalmo 25. *Vnicus ego pauper sum ego: tribulationes cordis mei multiplicata sunt.* Item humiles: Isaia cap. ultimo, *Ad quẽ respiciam, nisi ad pauperem, & contritum, & trementem sermones meos.* Deniq; qui non sunt diuites: Ethi reibus modis: actu, & non affectu, affectu, & non actu: actu & simul affectu. Christum loqui de pauperibus proprie, qui & actu & affectu, probat Bellarminus: primum testibus Ambrosio in 6. Lucae, Nysseno, Hieronymo, Beda in 5. Matthæi: Leone, sermone 1. de iis Domini verbis. Chromatio, & Anselmo in hunc locum. Basilio, qu. 205. Bernardo serm. 1. de Feste omnium Sanctorum. Abulensi, Lyrano, Caietano, Iansenio: Post ratione vna, quia *πτωχὸς* mendicum proprie significet, non humilem, sed egenum: altera, quia præmium, *Quoniam ipsorum est regnum caelorum*, propriissime respondet veræ paupertati: tertia, quia Lucae c. 6. Pauperes, non superbis, sed diuitibus opponantur, *Va vobis diuitib.* quarta, quia Christus, tum actu, atque affectu pauper fuerit: tam docuerit id, quod ipse fecerit, & sæpius diuitias periculosas esse dixerit.

II. His omnibus suppositis, stringit argumentum. Id omne Deo recte vouetur, quod ex eius testimonio scimus esse bonum, & illi gratum. Sed paupertas voluntaria, testimonio Christi bona est, & Deo grata: cum beati dicantur eiusmodi pauperes, & illis promittatur regnum caelorum in præmium. Igitur eiusmodi paupertas Deo rectissime vouetur.

III. Respondeo: Deo voueri quid dupliciter, vel vt semper actu exerceatur: vel vtrum cum opus erit. Si posteriori modo: concedimus vniuersum argumentum. Nam reuera ita se habet Christianorum officium, vt voueamus nos daturos elemosynam: non quidem vt is actus sit perpetuus, quasi nihil agendum aliud, sed quoties sese obtulerit egenus. Sic apud Papistas, milites Rhodij, vouerunt se pugnuros aduersus infideles: nõ vt dies, noctesque nihil aliud quam pugnas inean: sed tantum, vt quoties legitima sese occasio præbuerit.

IV. Altero modo, negamus maiorem. Est enim falsum, id omne vouendum, vt sit actu perpetuum: quod Deo est gratum. Exempla sunt in promptu ab ipso eius loci contextu. *Beati, inquit, qui lugent, Beati, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam.* Itaque non magis certo scimus paupertatem esse Deo gratiam, quam luctum & persecutionis tolerantiam. Et tamen nemo hactenus fuit tam à bona mente alienus, vt vouendam affirmaret luctum actu perpetuum, aut persecutionem actu nunquam cessantem. Sed tantum affectu continuam: actu autem, quoties Deo sic visum fuerit.

V. Præterea: Voluntaria paupertas, vel sic dicitur, vt ipsam indigentiam sibi ipse quis imponat, vel vt aliunde impositam alacri animo toleret. Hoc sensu rursus concedimus argumentum: & dicimus, omnibus Christianis hanc esse impositam legem. Quia hoc genus paupertatis, est afflictio quadam. At omnes Christiani tenentur omnes afflictiones, & patienter, & constanter tolerare propter Deum. Itaque, nihil pertinet ad vota de rebus arbitrariis, in quibus nunc sumus. Probatur ab ipsa oppositione, quam post vrget Cardinalis Bellarminus, in qua væ dicitur diuitibus. Nam in rebus arbitrariis, etsi in vnam partem Papistæ vouentibus multa bona promittunt: tamen in contrariam non censent certas esse poenas. Sic etsi promittant vitam æternam mendicantibus: tamen non addicant æternæ morti, quicunque in communi sunt diuites: imò ne eos quidem, qui in proprio.

VI. At si paupertatem dicas, quam sibi quis suo arbitrio imposuit, negamus assumptionem. Nam nec lugens is est, qui sibi luctum, nec *διδωχὸς*, qui sibi persequutionem. Neque verisimile Christum abulum esse *πτωχὸς* vocabulo, potius quam aliis, contra vsu communem. At nemo vnquam *πτωχὸς* appellauit, pauperem vè, qui ipse sibi rerum dominio, aut etiam vsu interdiceret: nisi post introductam hanc votorum superstitionem: qua tam impudenter lusit vocabulis, vt non tantum continentiam negaret esse castum matrimonium: sed etiam paupertatem, lautissimas appellaret diuitias.

VIII. Neque argumenta Bellarmini contra probant. *πτωχὸς*, proprie mendicum significare, concedimus. Sed non docet Sophista, proprie vsurpari à Christo. Nos contra improprie dicimus: tum, quia diuites oppositi, non proprie: neque enim his væ dicitur: alioquin nemini Christiano liceret esse diuiti: tum, quia non *πτωχὸς* dixit Matthæus: sed *πτωχὸς καὶ μελαν*: quomodo Psalmo trigesimo quarto, *Contritus* (Vulgata versio dixit humiles) quia proprie contritio corporis est, additur Spiritus, vt ostendatur metaphora. Itaque Toletus in Lucae 6. *Paupertas prior*, hæc scilicet, quæ apud Matthæum, diuersa, si Toletus fides, ab illa apud Lucam, *potest esse cum diuitiis.* *Pauperes enim spiritu sunt, qui affectum non habent in his terrenis diuitiis, & in honoribus positum, nihilque eorum desiderant: Dei voluntatem querunt, ac eam proponunt omnibus, ipsamq; sequuntur, qua paupertas in diuitibus esse potest.*

VIII. Sed & falsum, præmium propriissime respondere veræ id est, non metaphoricæ paupertati. Nam contra, commune est præmium vitæ sanctæ: ideoque eunctis eius partibus. Itaque etiam promittitur *τοῖς δὲ ἰσθμοῖς*, hoc eodem Matthæi capite, *Beati οἱ διδωχὲς ἰδοὶ, qui persecutionem patiuntur: iustitia causa: quoniam ipsorum est regnum caelorum.* Et cap. 19. humi-

humilibus, atque adeo, qui similes sunt infantibus, *Sinite puerulos, & ne prohibete eos ad me venire: talium est enim regnum caelorum.* Et vero, cur non aequae regni gloriae humilitati opponamus, ac diuitias paupertati?

IX. Luca 6. pauperibus diuites opponuntur. Quid tum autem? Nam primo Tolerus, & Iesuita & Cardinalis, negat similes esse locos. Praeterea, quid obstat, quominus ut pauperes sic diuites intelligamus metaphorice? Imo necesse est, nisi aut mentitum dicamus Christum, *καὶ οὖν οἱ διουίτιοι: quoniam repositis consolationem vestram*: aut omnes proprie diuites excludimus ab aeterna beatitudine. Vnde ipsi, qui paupertatem proprie accipiunt, diuites coacti fuere moraliter interpretari. Stella, *Primum va. facit contra cupiditatem diuitum, quod opponitur paupertati, & virtuti temperantiae.* Tolerus, *Diuitibus, id est, qui diuitius congerendis inhiatis, in eoque studio praecipue vestrum affectum collocatis.* Caietanus, *Diuitibus: hoc est, affectis ad diuitias, qui seruiunt diuitiis, Carthusianus, Loquitur de diuitibus, suas diuitias immoderate amantibus, eisque abutentibus: qui eis delicate se nutrimus: & consolationes habent carnales: ideo, spirituale consolationem gustare indigni sunt.* Haec si vera sunt, tunc nulla vis huic argumento: nam his moraliter diuitibus si opponas eos pauperes moraliter, cumulate satisfactum fuerit oppositioni.

X. Christus, inquit, tum affectu, tum affectu pauper fuit. Concedo, inquam. At non tamen ex voto, sed ex officio Mediatoris: non etiam abdicata omnium rerum proprietate: quod alias tractabitur. Docuit; quae ipse fecit: concedo: sed etiam paupertatem illam moralem, quae cum proprio rerum dominio consistit, re exercuit. Ergo & hanc docuit. Quamquam non est verum, quae cunque fecerit, eadem Christum docuisse alios: habuit n. peculiaris multa & personalia: quae ab aliis noluit ad imitationem trahi.

XI. Superfluit testes: Sed in horum enumeratione si insigniter mentiri Sophistas dixerit, non est quod verear, ne modestia limites excesserim. Nam veteres plerisque dico, pauperes moraliter exponere: sicut & nos: & paupertatem intelligere humilitatem. Maldonatus, *pauperes spiritu, maior pars auctororum, humiles interpretatur.* Audin? maior pars. At si testes numerentur: quis dubitet pluribus pauciores cedere? Sed hos plures: quos? *Hilarius, Chrysostomus, Author imperfecti, Ambrosius Augustinus, Gregorius Nyssenus, Epiphanius, Leo, Gregorius magnus.* Et tamen Ambrosium, Nyssenum, Leonem, in Iuis Bellarm. nominabat. Vtri fides? Neutri sane: sed ipsis potius testibus.

XII. Ambrosius, *Primam benedictionem utique Euangelista posuit: ordine enim prima est, & parens quaedam, generatioque virtutum.* Quia, qui contempserit secularia, ipse merebitur sempiterna: nec potest quisquam meritum regni caelestis adipisci, qui mundi cupiditate pressus, emergendi non habet facultatem. Nyssenus in de Beatitudinibus, *δοκίμοι πτωχῶν πνεύματι, τῶν ἰερωτοῦ τῶν πτωχῶν ὁνομαζέων λόγῳ, Videtur mihi, Verbum paupertatem & inopiam spiritus, nominare voluntariam animi humilitatem atque demissionem.* Et post, *Quoniam igitur omnibus propemodum, qui humana vita participes sunt, vitium elationis quodammodo innatum est: idcirco Dominus hoc initium beatitudinis exponendi facit.* Hieronymus, *Hoc est, quod alibi legimus, Et humiles spiritu saluabit. Ne quis autem putaret paupertatem, quae non nunquam necessitate portatur, a Domino predicari, adiunxit, Spiritu, ut humilitatem intelligeret, non penuriam.* Beati pauperes spiritu, qui propter Spiritum Sanctum voluntate sunt pauperes. Leo in festo omnium Sanctorum, *Cum dicit, Beati pauperes spiritu, ostendit eis regnum caelorum tribendum, quos humilitas commendat an morum, magis quam indigentia facultatum.* Post, *Omnis generi atque ordini hominum datur in hac virtute consortium, quia possunt esse proposito pares, & impares censu: nec interest, quantum sint in facultate terrena dissimiles, qui in spiritualibus bonis inueniuntur aequales.* Beata igitur illa paupertas, quae rerum temporalium amore non capitur, nec mundi opibus augeri appetit: sed caelestibus bonis ditescere concupiscit.

XIII. Adde, a Bellarmino praetertitos, *Hilarius, Exemplo Dominus docuerat humanae ambitionis gloriam relinquendam, dicens, Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruias. Et cum se per per Prophetas populum humilem, & ad verba sua tremementem, praemonuit esse lecturum, in spiritu humilitate perfecta beatitudinis posuit exordium.* Chrysostomum, *Τῶν πτωχῶν πνεύματι, ὡς τῶν πτωχῶν καὶ οὖν οἱ διουίτιοι: Humiles ac contriti mente.* Et post, *Quare non dixit, οἱ πτωχοὶ, ἀλλ' οἱ πτωχοὶ πνεύματι? Quia hoc illo amplius, τῶν πτωχῶν πνεύματι, si quidem illos hic memorat, qui Dei praecepta metuntur, atque etiam contemiscunt.* Theophylactus, *τῶν πτωχῶν πνεύματι, ὡς τῶν πτωχῶν καὶ οὖν οἱ διουίτιοι: ἰσχυρῶς δὲ καὶ τῶν πτωχῶν πνεύματι, ὡς τῶν πτωχῶν καὶ οὖν οἱ διουίτιοι: A dicitur, ὡς τῶν πτωχῶν πνεύματι, ἀποδοτικῶς καὶ Χριστοῦ, Humilitatem subternit tanquam fundamentum: quia enim ex superbia cecidit Adā, per humilitatem surrigit nos Christus. Author imperfecti, *Pauper spiritu est humilis corde, id est, pauperem spiritum habens, qui non magna sapit de se: sicut ex diuerso, diues spiritu intelligitur magna de se sapiens, & superbus, qui non implet mandatum Christi, dicentis, nisi conuersi fueritis sicut puer iste, non intrabitis regnum caelorum. Qui enim iam conuersus factus est sicut puer, ille est pauper spiritu: & qui pauper est spiritu, ille conuersus factus est sicut puer.* Tertullianus de Patientia c. 11. *Beati pauperes spiritu: eorum est enim regnum caelorum. Nullus profecto spiritu pauper, nisi humilis.* Augustinus de sermone Domini in monte lib. 1. *Incipit beatitudo ab humilitate: Beati pauperes spiritu: id est, non inflati, dum se diuinae auctoritatis subdit anima, timens post hanc vitam ne pergat ad poenas: etiam si forte in hac vita beata sibi esse videatur.**

XIV. Hi atque alij, nihil enim necesse est, omnes recensere, *pauperes spiritu, interpretantur, non eos, qui ostiatim mendicant, sed animi habitum vere πτωχῶν, quem Theologi humilitatis nomine indigerantur: At hunc nemo prorsus Papistarum Monachorum vult: ut omnino necesse sit, ex hoc loco non censeri Monasticen: si hic quidem Patrum numerus maior audiendus sit.*

XV. Nisi forte quenquam moueat Bellarmini confidentia, pro eodem, humilitatem, & paupertatem vsurpantis. Vt beati dicantur, inquit, qui propter Deum eligunt paupertatem, & proinde etiam humilitatem: & pauperes spiritu hoc loco nominantur ij, qui sunt voluntarie pauperes, & proinde etiam humiles: nam, ut plurimum, diuitiae elationem, paupertas humilitatem gignit.

XVI. Sed quid commentum iuuat, cuius vsus, tam facile sit depre-

hendere *καὶ οὖν οἱ πτωχοὶ*; Nam primo, Ambrosius negat euiquam esse meritum regni caelestis, qui mundi cupiditate pressus, emergendi non habet facultatem: atq; hunc statum ponit oppositum ei humilitati, siue contemptu secularium. Non potest igitur hic contemptus esse voluntaria paupertas proprie dicta. Quia verum est, quibusdam saltem non sic pauperibus pater regnum caelorum? ne Papistis quidem ipsis negantibus. qui hanc paupertatem non praecipiam, sed arbitriam esse volunt.

XVII. Secundo, haec humilitas communis esse potest, tum pauperibus, tum diuitibus. Leo dicebat, non tantum omni generi atque ordini hanc humilitatem proponi: sed etiam posse esse proposito pares, & impares censu: in facultate terrena dissimiles in spiritualibus bonis aequales: Quae nullo modo admitti possunt, si humilitas idem sit cum actuali paupertate. Tantum enim abest, ut idem sit pauper, cui multus census est, multa que facultates, & cui nihil est earum rerum: ut ne eis quidem Papistae aequale propositum esse velint, qui proprio tantum renunciantur, cum iis, qui etiam communi.

XVIII. Restant Chromatius, Anselmus, Basilius, pauci praeter alios: qui paupertatem dixere alio sensu, & magis ad eius vocabuli vsu communi, nimirum oppositum diuitiis. Sed hi tamen nihil habent tam discretum, ut cogat actualem intelligi paupertatem, siue potius mendicitatem eorum, qui dominij proprietatem abijciunt suarum rerum, ut alienis fruantur. Basilius *ἡ πτωχὴ οἱ πτωχοὶ τῶν πτωχῶν. οἱ πτωχοὶ δὲ ἀλλῶν πτωχῶν ἐκ τῶν πτωχῶν, ἀλλὰ τῶν πτωχῶν δὲ ἀσκαλιῶν τῶν πτωχῶν ἐκ τῶν πτωχῶν, πτωχῶν πτωχῶν ἐκ τῶν πτωχῶν, καὶ οὖν οἱ πτωχοὶ, Illi sunt pauperes spiritu, qui non aliam ob causam pauperes sunt, nisi propter doctrinam Domini dicentis, Abijcende, quaecunque habes, & da pauperibus.* Chromatius de Beatitudinibus, *Concion. 1. Beati pauperes, est spiritualis, eorum scilicet hominum, qui spiritu & voluntate pauperes se faciunt propter Deum, renuntians oculi bonis, substantiam suam vltro erogando.* Anselmus, *Beati pauperes spiritu, id est, voluntate, non coactione.* Enimvero & voluntate pauper est qui vitur suis bonis, si quae habet, non iis sese subicit: & renuntiat seculi bonis, qui sic voluntate pauper est. Quomodo Apostoli & patres erant, & renuntiauerant: & vero argumentum huic rei magna sunt, quod Chromatii, Basilijque tempora longo intervallo sequuti sunt ij, qui paupertatem actualem professi sunt: adeoque ij ipsi Monachi, quos Basilius instituebat, non tantum communi, sed ne proprio quidem dominio renuntiabant.

XIX. Sed Bernardus facilius, *Spiritu, id est, spirituali voluntate.* Beati vero pauperes spiritu, *spirituali scilicet intentione, desiderio spirituali, propter solum beneplacitum Dei, & animarum salutem.* Nam quid est intentio? quid desiderium? Certe diuersum quid ab actu. Nam, qui actu est, non desiderat esse: nemo enim desiderat id quod habet. Itaque hoc indice, is ipse, qui diues est, & dominus rerum secularium, potest esse pauper spiritu: nempe intentione, & desiderio.

XX. Quare haec Christi verba ad Monachorum vota non possunt non violenter detorqueri. Quod alio constabit argumento: quia haec de Beatitudinibus concio pertinet ad omne genus Christianorum: quod patet ex reliquis partibus. *Beati, qui lugent: Beati mites: Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam: Beati misericordes: Beati mundi corde: Beati pacifici: Beati qui persecutionem patientur: Beati: eritis cum conuicti fuerint vobis.* Quis credat verisimile, hunc articulum, perpetua serie reliquis annumeratum, vnicum tamen ita seorsim ire a reliquis, ut non competat, nisi vni cuidam Christianorum generi.

XXI. Secundum argumentum: ex Matthaei 19. *Si vis perfectus esse, vende, vende omnia, quae habes, & da pauperibus: & habebis thesaurum in caelo.* Et post, *Ecce nos reliquimus omnia, & sequuti sumus te: quid ergo erit nobis?* Hinc colligunt non solum paupertatem recte voueri posse, sed etiam Dominum hortatum esse ad vouendam. Ratio consequentia. Apud Viruesium, à verbo vendendi: quod spem adimit, quas semel abiecerimus facultates rursus recuperandi. Apud Bellarminum: quia parum prodesse dare omnia pauperibus, & fieri pauperem spiritu si quis paulo post rediret ad lucra, & opes comparandas. Rursum, quia Patres intellexerunt his testimoniis commendari paupertatem perfectam, quae suscipitur cum proposito & voto semper ita permanendi. Augustinus Epist. 87. q. 4. Et in Pf 103. concio. 3. Bernardus in declamatione super eo loco.

XXII. Respondeo negari consequentiam. Neque enim Christi, neque Apostolorum verba de votis habent quicquam, aut huiusmodi perfecta paupertate, quam Papistae commenti sunt. Docemus facile. Primo, quia Apostoli, qui se reliquisse testantur omnia, tamen habuerunt propria. Petrus & Ioan. Matth. 8. *Cum venisset Iesus domum Petri, vidit socrum eius in lecto proiecctam, Ioa. 19. Dicit discipulo Ecce mater tua. Et ex illa hora recepit eam discipulus in sua.* Beza, domum suam. Syrus, apud se. Etiam Paulus 1. ad Cor. 11. *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, non proderit mihi, si non habere propriam.*

XXIII. Secundo, aliud est vendere omnia sua, & dare pauperibus, aliud vouere paupertatem: nam illud actum significat, hoc vero statum. Christus ergo hortatur ad actum: non autem ad statum perpetuum. Quomodo Luca 11. *Ea quae adsunt, date in elemosinam.* Et multa similia. Neque n. ita quifquam infaniuit, ut dixerit, quoties quid aut praecipit, aut hortatur Christus, perpetui status votum significare.

XXIV. Tertio non potest haec illa paupertas esse mendicantium. Ratio manifesta: quia haec praecipitur ei, qui se credebat omnia obseruasse legis mandata: quod & supponens Christus Marci 10. *Vnum tibi deficit: abi, quaecunq; habes vende.* Vnde constat, siue praecipit id est, siue consilium, non esse gradum ad perfectionem, sed ipsum perfectionis culmen: non igitur substernendum mandatis legis: sed ei praemittenda legis mandata: quod contra Monachi faciunt: qui votum suum faciunt non propter adeptam perfectionem: sed in spem adipiscendae.

XXV. Ad primam consequentiae confirmationem facilis responsio. Veditio enim esse quidem perpetuam rei alienationem. Sed omnem perpetuam alienationem, aut omnem etiam venditionem, fieri ex voto, falsum. Saepen. potius ex praesenti causa, siue ea necessitas sit, siue voluntatis motus. Quis n. nescit, multa donari (nā & donatio, est perpetua alienatio) multa vendi

quotidie absq; vlllo voto? Nam exemplorum plena est vita communis. Itaque aliud est vendere, aliud vendere ex voto: vnde necesse est non sequi eum, qui iubet vendere, eo ipso iubere vendere ex voto.

XXVI. Ad alteram consequentia confirmatione respondeo supponi verum, si supponatur votum: sed hoc non supposito, quod est in questione, nihil esse absurdum. Nam quis nescit, actus singulares non impedire habitum diuersum? & posse sibi acquirere facultates, qui tamen elemosynam largitus sit: Nihil, inquam, obstat, quominus, qui hodie quicquid habuit, erogarit pauperibus, exempli gratia, vidua illa, quae in gazophylacium miserat duo minuta, Marci duodecimo; idem cras, aut etiam ipso eodem die lucraretur aliquid, quod haberet proprium. Neq; potest quicquam vere dicere, eam illi elemosynam fuisse inutilem. Paulus ad Eph. 4. *Laboret, operando manibus, ut tibi rationem acquirere possis, ut possis impertiri, cui opus fuerit: en tibi elemosynam.* Quare elemosyna non tantum non impedit, quominus quis sibi acquirat aliquid proprium: sed etiam acquirere aliquid proprium, ratio est optima danda elemosynae.

XXVII. Augustinus nusquam aut Monachus, aut voti perpetui meminit, in hoc explicando loco: etsi de paupertate voluntaria dicat satis multa: quod quidem mihi tam æquum est credi neganti, quam Bellarmino affirmanti. Sed huius duriores partes affirmandi: ut mirum sit, nomine nudo fuisse contentum: quod eum tum maxime facere notauium saepe, cum maxime imposturam facit. Ego igitur fateor, Augustinum dicere, tum in eum Psalmum, tum in Epistola illa, de iis qui vendunt sua & largiuntur pauperibus: sed non intelligi votum praestitum, sed studium praestandi: & ut vno dicam verbo, non voti laqueum sed studii ardorem, ex his colligit Epistole verbis: postquam testatus esset, vehementer se amare hanc perfectionem, *Quantum in hac perfectionis via profecerim, magis, quidem noui, ego, quam quisquam alius homo: sed magis Deus quæ ego.* At qui in ipso renuntiationis actu, cum excutitur dominium omnium rerum, non proficiunt plus aliis: id n. se mel fit: id a. quod profectum admittit, oportet per momenta varia conficere: ut omnino necesse sit profectum intelligi, non de actuali paupertate, sed de habitu animæ, qui acquiritur per varios gradus.

XXVIII. Bernardus, erat ille quidem alius demersus in monasticas superstitiones, quam Augustinus. sed ipse tamen non tantum paupertatem illam professus non est: quæ nihil habeat, aut communis, aut proprii: sed ne suos quidem Monachos edocuit profiteri: nihilominus paupertatem valde commendans, quam his verbis Christus significauit. Vnde iam argumentum vehemens: non existimasse hanc in eo consistere, ut dominio sibi quisquam interdicit. Præterea in ea ipsa declamatione, vnde Bellarm. citauit, *Hæc sunt verba: quæ contemptum mundi in vniuerso mundo, & voluntariam persuasere paupertatem: hæc sunt quæ Monachis claustra replent, deserta Anachoretis: in tota, inquam, illa declamatione, de Voto, aut dominio nihil lego: sed prolixam, & vehementer ac valde piam adhortationem ad renuncianum cupiditatis. Plus n. concupiscentia mundi, quam substantia nocet.* Quæ quidem admonitio, non paucis quibusdam intra claustra latitantibus, aut in deserto paucibus eximia est, sed communis omnibus Christianis.

XXIX. Tertium argumentum ex Act. 4. *Multitudo credentium erat cor vnum, & anima vna: nec quisquam eorum, quæ possidebat aliquid suum esse dicebat: sed erant illis omnia communia.* Hoc ex voto factum probat, teste Augustino, serm. 1. de Communium vita Clericorum.

XXX. Sed negatur describi paupertatem: aut vllum paupertatis votum: quia quicquid id est, quod factum dicitur, non quorundam erat ex Ecclesia: sed omnium: sic n. dicitur, *Multitudo credentium: nec quisquam eorum.* At hæc paupertas nunquam ad omnes, aut pertinuit, aut etiam pertinere potuit. Neq; n. fieri potest, ut quibus familia est curanda, ij nihil proprii habeant: Vnde Salmeron cogit diuinare, hos eosdem omnes etiam qui coniugati erant voluisse continentiam. *Nam si tales coniugati, inquit, opus generationis, & procurrationis filiorum sibi non adimerent, stultum erat, & contra omnem rationem facultates suas in pauperes distribuere, quas iure natura seruare cogebantur, ut filiis alimenta relinquerent, & filias dote data honeste collocare possent: neq; verisimile est Apostolos permisisse, ut tales, substantias suas diuiderent (sic n. legendum puto, non diuiderent) & ad pedes suos ponerent.* Hoc argumentum nos edficimus, non abdicatam fuisse omnium rerum proprietatem: nam voluisse omnes abstinentiam solus diuinavit Salmeron: & diuinavit præter omnem verisimilitudinem: ut nihil amplius dicam.

XXXI. Nimiram ergo id potius intelligendum, quomodo iam pridem inter amicos dicta sunt omnia communia: scil. *ἅπαντα*, non *ἅπαντες* quia nemo ita se componit, ut nihil se habere censeat, non in commune bonum: quomodo scimus charitatem non querere quæ sua sunt: & Paulus vult quemq; laborare, ut habeat vnde indigentibus largiatur. Breuiter manente cuiq; bonorum suorum proprietate, fuerunt tunc Christiani in eorundem communicatione liberales.

XXXII. Neq; mouent nos Stapletoni, Antidotis in hunc locum, argumenta. Primum: quia vendebant omnia, & ad pedes Apostolorum ponebant: ergo & dominium & vsum fructum transferebant. Secundum, nemo suum aliquid esse dicebat: ergo aut metiebatur, aut nulla manebat proprietate. Tertium: quia Ananias & Sapphira fraudarunt de pretio agri, aliquam partem sibi retinentes: at nulla fraus est, cum suum quis retinet: nulla ergo remansit proprietate. Quartum: Petrus Ananiam dixit, vendiditum erat in tua potestate: sc. ante depositum ad pedes Apostolorum pretium: Ergo iam depositum, non erat amplius in eius potestate. Quintum: Gentium Ecclesia valde erant liberales, ut patet ad Rom. 15. & tamen quod hic Lucas describit, nullas Gentium Ecclesias fecisse, testis est Augustinus de doctrina Christiana libri tertii capite sexto.

XXXIII. Nam in primo: supponitur falso, fuisse omnia vendita. Non ita Lucas: sed *Quot quot erant possessores agrorum aut domorum, vendentes adferrebant pretia eorum quæ vendita fuerant.* Vbi primum vendita non legis omnia, sed agros & domos deinde ne omnes quidem agros, omnes domos. Quis n. nescit has in definitas enunciationes differre ab vniuersalibus? Et vero de horum discipulorum numero erat Philippus Diaconus: de quo tamen Lucas longe post. Act. 21. *Paulus & nos venimus Casarem: & ingressi domum Philippi Euangelista, qui erat vnus ex illis septem: mansimus apud eum.* Non ergo verum vendita fuisse omnia alioquin ne domum quidem habuisset Philippus: Vendentes ergo fateor transfuisse dominium: sed eorum quæ vendebant: non tamen omnium.

XXXIV. In secundo falsa consequentia est: nam, etsi nemo diceret quicquam esse suum, tamen nec mentiebantur, nec nulla remanebat proprietate: quia proprietate *κτῆσις* est, non *ζῆσις*. Et quia soler hæc illam comitari, ut quæ possideamus, iis neminem præter nos uti patiamur, hinc fit, ut quorum vsum aliis permittimus, ea per tropum, ne nostra, imo aliena esse dicamus.

XXXV. In tertio. Ananiam fraudasse de pretio agri concedimus, id est, interuertisse: & concedimus, id eius agri pretium non fuisse in eius potestate, non tantum, ex quo depositum erat ad pedes Apostolorum, ut incogitantur Stapletonus dixit, sed etiam ex quo votum. Debent enim, quæ legitime vota sunt, bona fide præstari. Et communis est *ἡ πίστις*, quæcunq; fructe venduntur, siue donantur, eorum transferri dominium. Quid ergo? Nempe aliud est, huius agri pretium, aliud omnium bonorum proprietate. Nec sequitur si huius agri dominium à se Ananias transfulerit, etiam transfuisse omnium quæcunq; habebat: nimirum quia non est necesse omnia vendidisse.

XXXVI. Eadem solutio satisfacit quarto argumento.

XXXVII. In quinto, vere dixit Augustinus, non legi Ecclesias ex Gentibus tale aliquid fecisse; nimirum ut venderent agros suos, suasque domos, & pretium apponerent pedibus Apostolorum distribuendum pauperibus. Sed negatur inde sequi, nullius rei proprietatem fuisse ab illis discipulis retentam. Nam inter nihil vendere, & nihil retinere, *πὸ λῆσι τὸ ἀλῆσι*: Vt verum sit & non venditos agros à gentilibus, & non tamen nihil sibi reseruasse Iudæos illos. Durius tamen dixit Augustinus, *vendidisse omnia sua: quod non habet ex Luca.*

XXXVIII. Nihil est ergo in hoc præfata Ecclesia exemplo, quod vile sit monachorum superstitioni: quæ tamen tota est à voto: cuius nullum in Luca vestigium. Describuntur n. ab eo actus singulares charitatis Christianæ: qui quidem infiniti possunt occurrere, absq; vlllo tamen voto: sed prout aut sese offert occasio, aut etiam necessitas flagitat.

XXXIX. Sed inquit Bellarminus, factum id ex voto docet Augustinus. Augustinus, inquam? Minimè vero. Nam primo, is autor eorum sermonum ad fratres in eremo, in quibus ille, quem Bellarm. indicat, est 59. non Augustinus, sed impudentissimus est impostor: teste non tantum Erasmus in Censura: sed etiam Baronio ad annum trecentimum octuagesimum secundum, §. 26. Secundo, quantuscunq; is fuerit impostor, tamen id quod à Luca describitur, ex voto factum non dixit, dixit tantum esse vitam Apostolicam: & eam se imitari, *Quomodo, inquit, viuere velimus: quomodo Deo propitio iam viuamus, quamuis de Scriptura Sancta multi noueritis, tamen ad cōmemorandos vos (enphrasia Augustiniana, sc. ipsa de libro Actuum Apostolorum vobis lectio recitabitur, ut videatis vbi descripta sit forma, quam desideramus implere: Sermo enim 1. Et ideo, fratres dilectissimi, commorantibus nobis in eremo in nomine Dei nostri placeat secundum Apostolicam vitam vnum sentire, & omnia communiter possidere.* Hæc ego apud eum legi, & similia plurima: Votum Apostolorum, aut Apostolicorum virorum non legi. Itaq; sic censeo, voluisse hunc impostorem hanc vitam, quæ Apostolice viuere ex charitatis officio, ipsum sibi suisq; imponere: ac proinde formam quidem ab illis desumere, sed à se votum addere, ex superstitionis ingenio.

XL. Bellarmino quartum argumentum est ex Act. 5. vbi Ananias & Sapphira vxor eius, cum vitam communem profiteri velle viderentur, & tamē aliquid sibi proprium clam retinissent, continuo ab Apostolo Petro detecti & increpati atq; à Deo inuisibiliter percussi interierunt. Id ex voto factum probat. Primo, quia fraudasse non diceretur, nisi rem iam obligatam promissione furripisset. Deinde, quia promissionem factam Deo, constet, quia dicatur, mentitus Spiritui Sancto. Tertio testib. Chrysostomo, Homilia duodecima in Acta. Hieronymo ad Demetriadem. Augustino serm. 27. de Verbis Apostoli. Et 10. de diuersis. Fulgentio, Epistola de debito coniugali c. 8. Gregorio, lib. 1. Epist. 33. Aratore, lib. 1. Acta. Oecumenio in Commentariis huius loci.

XLI. Imo supponitur bis falsum. Primo, quod vitam communem Ananias profiteri voluerit: secundo quod aliquid proprium sibi retinere. Nihil n. tale, aut Lucas dixit aut Patres expresserunt: sed tantum consecrare eius agri pretium vitæ illi cōmuni, si sic appellare iuuat: etsi improprie. Quia patet ex verbis Luca ea pretia non omnibus distributa: sed indigentibus, *καὶ ὅτι οὐκ ἔστιν ἕνα ἕνα*. Sed ne de vocabulis litigemus, consecrasse, inquam id pretium communibus vrb. itaq; retinuisse sibi proprium, non in definitè quicquam, sed aliquid ex eo pretio: quod totum erat consecratum.

XLII. Argumenta igitur Bellarmini id probant. Vere enim ille fraudare dicitur, qui de re consecrata Deo, aliquid vertit in vsum profanos: nec sequitur, si eo peccet, ergo omnia sua consecrasse. Eam autem eius rei consecrationem per nos licet votum appellari: sed nostra nunc differatio est, non de voto alicuius liberalitatis, sed de voto paupertatis perpetuæ. Esse a. votum peculiaris huius rei ipsi testantur, quos Sophista laudat, Quid enim aliud Augustino, *Ex eo quod promiserat, partem subtraxit? Deo displicuit detrahere de pecunia, quæ vouerant Deo.* Gregorio, *Ananias Deo pecunias vouerant, quas postea victus persuasione Diaboli subtraxit?* Non quascunq; igitur pecunias subtraxit: sed earū, quas consecrauerat, partē: Neq; aliter visum Chrysostomo, *ὁ παρὶς τῆς αἰσῆς τῆς πλῆθους ἀπὸ τοῦ ἀγροῦ, Subtrahit aliquid.* Recte: sed vnde: an de omnibus suis reb. minime, sed de pretio agri quem vendiderat: *ἰδὲν ὅτι τὸ ἕνα ἕνα, ὅτι πῶς ἀπὸ τῆς αἰσῆς τῆς πλῆθους ἀπὸ τοῦ ἀγροῦ τὸ πῶς ἀπὸ τῆς πλῆθους ἀπὸ τοῦ ἀγροῦ, Viden, hoc ei imputari, quod cum eas pecunias nota non res omnes suas, sed αὐτὰς ἑαυτοῦ (sacras) fecisset, tunc acceperit?* Neque aliter alij intelligendi.

XLIII. Nec plura Bellarm. è Scripturis descripsit. Alij alia. Exemplum Christi vrgent Clichthovæus, Roffensis, Bunderius. Hunc n. adeo pauperē fuisse, ut nec habere se dixerit, vbi caput reclinaret suum. Luca 9. neque drachma, quod solueret. Matthæi 17. Paulum vero 2. ad Corinthios 8. hanc eius paupertatem inspectandam pariter & imitandam proponere, *Scitis gratiam Domini nostri Iesu Christi: quoniam propter nos egenus factus est, cum esset diues, ut illius inopia vos diuites essetis.*

XLIX. Respondeo: vere pauperem fuisse Christum: sed primum non abdicacione proprietatis. Nam legitur habuisse vestes suas: Matthæi 27. *Partiti sunt eius vestimenta.* Habuisse item oculos commissos Icarioræ, Ioannis 12. & 13. Secundo non ea paupertate, quæ se iuncta esset ab indigentia. Hoc ipsa illa testantur verba, quibus significauit, non esse

esse sibi, ubi reclinat caput. Nam ita terret eum qui se profitebatur sequitur, obiecto tanto incommodo. Denique non ex voto: nulloquam enim id docet Scriptura: sed ex propria vocationis ratione: quod Paulus ipse docet, cum factum pauperem dixit, ut nos diuites effemus: quod genus paupertatis nullus Monachorum aut vouet, aut profiteretur.

XLV. Præterea, neque Paulus hortatur quenquam ad hanc imitandam paupertatem: neque enim hoc illi propositum fuit: sed ad liberalitatem exercendam in fratres egenos: quod ei fuit argumentum præ manibus: ut Corinthios incitaret ad eleemosynas, quibus eorum dilectionis sinceritas explorata redderetur. Iustinianus, *Christi exemplo liberalitatem & beneficentiam in pauperes commendat*. Salmero, *Argumentatur Apostolus ab exemplo Christi imitando à Corinthiis, Considerate, inquit, beneficentiam Domini nostri Iesu Christi, nam nullis vestris bonis parceris, quæ non pro illius amore egenis fratribus promptissime expendatis*. At qui paupertatis Papistica vortum, huic instituto, huic, inquam, liberalitati aduersatur: nam qui nihil habet sui, quid largiri potest? Confirmat vsus. Nam, qui hanc paupertatem vouent, adeo non vouent munificentiam in pauperes, ut ipsi potius voueant aliorum munificentiam. Denique nemo vnquam suspicatus est, aut verisimile putauit Paulum omnes Corinthios esse adhortatum ut monachatum vouerent.

XLVI. Roffensis, Chlichthouæus, Alphonsus de Castro, Platus ex Matthæi 10. *Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris: neque peram in via, neque calceamenta, neque virgam. Dignus est mercenarius cibo suo*.

XLVII. Sed vix potuit quicquam esse alienius. Nego enim agi de votis arbitrarijs: nego agi de paupertate voluntaria, siue monastica. Nego agi de voto perpetuo, Non de votis: quia hæc opponuntur præceptis. At hæc capira erant peculiariter Apostolis præcepto Domini imposita. Itaque Roffensis, *Hanc, inquit, induxit Christus inopiam Alphonsus à Castro. Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris. Ecce pecuniam interdicitur. Quod ipsum patet, non tantum ex formula *in zonis vestris*, quam Latinus expressit, *Nolite possidere*, solens suo more: sic enim prohibitiones effert. Matth. 5. *Nolite putare*. Sexto, *Nolite multum loqui: nolite assimilari*. Septimo, *Nolite iudicare*. Sed etiam ex circumstantijs: quia similiter alia mandantur, quæ manifestum est non cadere sub votum, *In viam gentium, inquit, ne abieritis: & in ciuitates Samaritanorum inquit, ne intraueritis*. Profecti vero predicant, egrotos sanant, leprosos purgant: & similia. Itaque patet Christum tanquam Dominum, sic voluisse tunc sibi feruiri: nõ vero liberum reliquisse, vellentne, an nollent: quomodo libera sunt omnia arbitraria.*

XLVIII. Non de paupertate Monastica. Primo, quia id institutum à Christo impositum non quibuslibet: sed prædicatoribus, & quidem eiusus prædicationis causa. Hieronymus, *Consequenter hæc dat præcepta Evangelizatoribus veritatis, quibus ante dixit, Grátis accepistis, grátis date: si enim sic prædicant, ut pretium non accipiant, superflua est auri argentique, & nummorum possessio. Nam si habuissent aurum & argentum, videbantur non causa salutis hominum, sed causa lucri prædicare*. Salmero Tom. 4. tract. 14. p. 2. *Non solum his verbis instituit præconem Euangelicum per diuersa loca ratione Euangelij peregrinantem, sed etiam in ciuitate manentem*. Vides primum institui præconem Euangelij: vides rationem institutionis peti ab ipso præconio: nimirum, ut vitetur suspicio mercenariæ prædicationis. Quamquam Christus non hanc duntaxat expressit, cum dixit, *Grátis accepistis, grátis date*. Sed & aliam, *Dignus est operarius alimento suo*: nimirum ne ipsi præcones prouideant necessaria: quando quidem eis debeantur ab ijs quibus prædicatur Euangelium.

XLIX. At nostri boni Papistæ de votis cum disputant, genus imaginatur vitæ, longe aliud ab Instituto prædicatorum. Atque adeo prædicatores permittunt habere diuitias, quantas possunt: paupertatem vero imponunt, & inde victum ex alieno, ijs, qui vix sibi necdum alijs prædicant. Nam saltem Eremitæ, & Carthusiani, inutiles sunt prædicationi. Alijs a prædicatione ita accedit ad vota, ut non omnes ei vacent. Quare absurda ex Christi verbis consequentia est: Præcones Euangelij, iubentur nihil sibi prouidere, quia ex alieno debetur eis victus: Ergo eadem ratio est, etiam eorum, qui ad prædicationem sunt, quod dicitur, *Afinus adlyram*.

L. Secundo, nego agi de renuntiatione dominij. Patet duplici argumento. Primo, ex verbis: Non enim dixit, non habendum aurum & argentum, absolutè, sed in zonis. Nec prohibetur tunica, sed gemina: unde constat licuisse habere aurum aliquomodo, quia vno tantum prohibitum: itè tunica saltem vnâ. Stella in Luca 9. *In eo quod dicit, Neque duas tunicas habeatis, superfluum est: prohibet, non necessarium vestimentum: nam Christus duplicem habuit vestem: quia, præter tunicam inconsutilem super quam missa est fors, habuit alia vestimenta, quæ fuerunt diuisa. Sic diuus Hieronymus ad Hedibiam ait quod quicquid corpori nostro sufficere potest, & humana succurrere imbecillitati, hoc vnica appellanda est tunica, & quicquid in presentibus alimentis necessarium est, hoc vnicus dies victus appellatur. Ita necessarium iuxta imbecillitatem vnicius vnus, vocatur vnus, superfluum vero duplex. Secundo, ex facto, nam si renuntiaissent Apostoli proprietati bonorum, ergo neque Petrus habuisset domum, neque Ioannes *in idra*, quod contra Euangelistæ testantur.*

LI. Non de voto perpetuo: sed de facto particulari, secundum præsentem necessitatem, aut saltem vtilitatem quia præceptum fuit peculiare ei expeditioni, quæ tunc temporis iussu magistri suscipiebatur: nimirum ad prædicandum Iudæis, quorum terminis diserte missio circumscribitur: & distinguitur à plena missione, quæ gentes complexa est. Nam hæc vice, prohibuit Christus ire in vitam gentium, ingrediente domos Samaritanorum: cum tamen secundo, *Profecti docete omnes gentes*.

LII. Fuisse ergo hoc mandatam peculiare ei itineri, patet ex Luc. 22. *Dixit etiam ijs, Quando misi vos absque crumena, & pera, & soleis, num quid defuit vobis? Ipsi vero dixerunt, Nihil. Dixit ergo eis: At nunc, qui crumenam habet, sumat eam, similiter & peram: & qui non habet, vendat pallium suum, & emat gladium. Vbi nota duas disparatas missiones, Quando misi vos, &, At nunc. Et prior illa assignari, sine crumena, sine pera, in posteriore autem opposita ut liceat habere & crumenam, & peram, & gladium: & quidem proprium, puta exemptionem: nam quemadmodum venditio est alienatio dominij, sic emptio est acquisitio. Imo disertius, non obstat ante prioris prohibitionem, tamen habuisse aliquid proprij Apostolos, qui habet crumenam: vendat pallium*

suum, nam & habere, proprietatem sonat: quoniam, qui habet dicitur discretus, quasi omnes non haberent; & pallium suum, nemo dicere potest, nisi proprium: & certè vendere nemo potest, nisi id cuius habet proprium dominium. Præterea, quod apud Matthæum est *in zonis vestris*: Lucas dixit 9. *Quando misi vos, Nihil tulistis, siue, ut Beza, Nihil sumite*, quæ phrasitum spectat ad presentem usum, tum indicat proprietatem: nimirum quia qui sumunt, ea suis sumunt, ut sensus sit, et si habeatis illa domi omnia ad iter necessaria, tamen nunc ne sumite.

LIII. Cum ergo manifestum sit, & non obstante prioris missionis prohibitionem, fuisse Apostolis aliqua propria, & in secunda missione, remotam prohibitionem: manifestum est & illud, prohibitionem fuisse peculiarem ei itineri, quod tunc ex speciali mandato suscipiebatur. Hoc non nostri tantum obseruant, Calvinus, Aretius, Bucerus, Beza, Piscator, reliqui: sed etiam Papistæ, Toletus 9. *Conuocatis Apostolis, prohibet nihil secum adferre ex ijs quæ ratione via consiendenda adferri ab ijs solent*. Carthusianus in Matth. 10. *Christus secundum congruentiam loci ac temporis, conuenientia dedit præcepta. In legatione igitur Apostolorum, quæ facta est ante passionem, præcepit ne quid tollerent in via* Franciscus Lucas, *Nolite possidere siue comparare vobis in professionem*. Et post, *Ad hanc professionem præcisè voluit Apostolos suos accingi Christus, absque omni pecunia, viatico, & sarcinis: id quod docemur ex verbis eius in vltima cena: ubi de præterita missione loquens, ait, Quando misi vos sine sacco, & pera, & calceamentis, nunquid aliquid defuit vobis? Quod autem non præcisè & iuxta literam hoc semper præcepit Apostolis suis, præter hoc, quod eadem illa secundum Lucam verba non obscure indicent, manifestum ex eo est, quod neque Apostoli hoc semper obseruauerunt, qui & loculos habuerunt, & mulieres sorores à quibus alerentur, ac curarentur, circumduxerunt. Relata igitur hæc de impedimentis præcepta, ad perpetuum Apostolorum officium, ut referenda etiam sunt, intelligenda sunt veteri studiosam, de his rebus necessarijs professionem, qua vel impediri possit Euangelij prædicatio: vel minui ministerij Euangelici auctoritas, vel non tale exemplum contumionis verum terrenarum præberi, quale præberi congruum est à præconibus regni cælorum. Atque hoc est, quod veteres Patres voluerunt, quando hæc, tanquam perpetua præcepta interpretantur. Nam & huic respicit Christus, Apostolos suos hac vice omnino nudos de industria abs se emittens ut non modo nullis impedimentis retardentur, quos vult totos vacantes delegati functioni intra paucos dies Iudæam lustrare, & statim ad se reuerti: sed etiam, quadam diuina prouidentia, curam gerentis fidelium verbi præconum, quasi degustatione, ad futuram illam in vniuersum terrarum orbem legationem præparentur. Arboreus c. 31. i. Theosophiæ, *Aliqua fuerunt prohibita Apostolis vno tempore, quæ postea eis licuerunt. nec illa prohibitio erat absoluta & sempiterna, sed temporanea ad aliquod certum tempus adstricta*. Denique olim Ioannes de Turceremata in qq. Euang. Fera 2. in ramis palmarum, q. 2. *Non prohibuit portare aurum, & argentum, siue loculos, nisi quando misi ad Iudæos, quando autem ad alios misi, & quando iam exosi fuerunt hominibus, dedit auctoritate in portandi loculos*.*

LIV. Hæc cum ita sint, manifesta est consequentia, nõ agi de vilo voto qualia illa sunt, de quibus disputamus. Est enim longe aliud, si voueas nunquam te geminam tunicam habiturum, quam si ad aliquod iter conficiendum non lumas: exempli gratia, Paulus proficiscens Troade reliquit penulam & libros: non tamen vouit nunquam se vsurum, alioquin non repetisset. Poster. ad Timoth. 4. *Penulam, quam reliqui Troade a; ud Carpentem, adfercum venies, & libros, maxime membranas*.

LV. Obstrept Maldonatus, negans assentiri posse ijs, qui hanc prohibitionem vniuersalem esse nolunt, sed ad istam tantum primam Apostolorum missionem pertinere, & contra disputat quatuor argumentis. Primum est, ab intentione Christi: ne auri & cæterarum ad vitam necessariorum rerum sollicitudo Apostolicum officium impediret. Secundum, quia voluit eos, quod gratis acceperant, gratis dare, id est, non vendere prætextu victus vestitusque: quærendi. Tertium, ex verbis, dignus est operarius cibo suo. Quæ omnia magis ad secundam missionem pertinent, quam ad primam. Ergo & id quod inde probatur, ut nec aurum nec argentum haberent.

LVI. Sed contra sunt illa duo grauissima incommoda. Vnum, quod sibi ipsi Christus contradixisset, qui diserte in secunda missione permisit ea quæ hic prohibita sunt: quod nemo pius audire possit absque horrore. Alterum quod Apostolos sequeretur transgressos esse Magistri mandatum, nam hos manifestum est, ut monuimus habuisse semper aliquid proprij, quod, et si minus est illa priorè in Christum blasphemia, tamen blasphemia est, neque ad mittenda, neque toleranda inter Christianos.

LVII. Itaque respondeo, non sequi, si ratio præceptorum sit perpetua, ideo ipsa præcepta esse perpetua, nisi intelligatur, ratio propria & maxima. Alioqui enim longum discrimen est, cum ratio est ex vniuersali bus: at præcepta de rebus particularibus, quæ, ut loquebatur paulo ante Carthusianus secundum congruentiam loci & temporis, addo & personarum, conuenientia assignantur. Exempli gratia: Ratio, quare voluerit Petrus crucifigi Christi, fuit, ut morte sua glorificaret Deum, teste Ioanne. At hæc ratio non Petro erat propria, sed & omnibus Apostolis: & tamen reliquos omnes noluit crucifigi. Ratio, cur instituta Abrahamo circumcisio, fuit, ut esset aliquod signum siue *σφραγίς* fœderis. Quæ ratio & Christianis communis est: quos tamen circumcidere non licet. Mutati nominis filio Ionæ causa, apud Gorranum in hoc Matth. caput, *in signum spiritualis mutationis. Quæ causa profecto non est vni Petro peculiatis, sed omnibus, prælati communis, quia qui præficitur, inquit idem, debet mutari in virum alterum, ut legitur de Saul i. Reg. 9. Et tamen, vel soli Petro, ut voluit Papistæ, vel paucis præter eum, nomen est nouum impositum. Sed, cur alio excurro: & non ab ipsis Papistis, atque hæc ipsa controuersia sumo exempla? Omnibus enim Monachis communis est perfectionis assequendæ professio Itaque, si ab altissimo paupere quæras quare omni dominio renunciarit, tum proprio tum communi, respondebit, ut assequatur perfectionem. Si à remissiori, quare, et si non communi, tam proprio dominio decesserit, respondebit, ut assequatur perfectionem. Si à cenobita quæras, quare intra ergasterium suum concluderit se: respondebit, ut perfectionem assequatur. Si ab Anachoreta, quare deserta, & bestialis communionem affectarit, respondebit ad assequendam perfectionem? Videntur ut his ipsis de rebus, imo iudicibus, constat, posita vniuersali ratione, posse media ad eam rationem tendentia variari, id est, non esse vniuersalia*

LVIII. Præterea, singula argumenta proprijs peccatis laborant. In primo sumitur falsum: voluisse Christum, ne auri & cæterarum rerum sollicitudo Apostolicum officium impediret. Non enim de Apostolico officio agit, sed de hac particulari peregrinatione: itaque voluit, ne ea cura hoc iter impediret, quod volebat paucis diebus confici, ut notauit Lucas Brugenfis.

LIX. In secundo, nulla vis est: quia non est necesse eos vendere res sacras, qui habeant aliquid proprium, nisi forte suos ille pontifices somniet, apud quos datur exponi paradisi venditioni. Sed Paulus non vendebat, qui habuit penulam, & libros, non vendebat Ioannes, qui in propria Virginitate aduersit. Non vendebat, longo post tempore, Gregorius Nazianzenus, qui etiam vitam Monasticam aliquando professus, tamen & excepit hæreditatem fratris Cæsarij, & testamentum condidit, quod etiamnum exstat. Itaque, nec tum necesse fuit, nec post ob hanc causam imponi paupertatem Apostolis. Contra potius ab ijs, qui nihil habent proprium certissimum hoc periculum est, ne vendant res sacras. Nam experientia docet Misellarum venalitatem ab ea causa esse, ut paupertati presbyterorum subueniatur.

LX. In tertio, etiam qui proprium habent aliquid operarij digni sunt cibo suo: imo, si nihil habere proprium debent: quomodo digni sunt cibo suo? Nisi forte Ecclesiasticos omnes in Ecclesia Romana, aut contenderit Maldonatus nihil habere proprium, aut indignos esse, quos suis rebus alant seculares. Ille viderit. At certe Paulus, qui non tantum vestes habebat proprias sed etiam ex propriarum manuum labore lucrum, quo se aleret, nemo sanus neget potuisse suo iure de alari viuere.

LXI. In quarto, missos fuisse Apostolos in medios lupos, id vero cum renunciatione dominij nihil habet commune: neque propterea iussi sunt non ferre aurum, argentum, peram: Itaque, etsi eandem hanc conditionem experti sint, multo magis in secunda vocatione, non fuit tamen necesse illas prohibitiones esse perpetuas.

LXII. Platus libri 2. c. 20. Paupertatem, quibus expressioribus verbis commendare potuit Christus, quam illis, *Nisi quis renunciauerit omnibus que possidet, non potest meus esse discipulus?* Lucæ 14. quem locum neque Sonnius omissem voluit.

LXIII. Atqui, inquam, *ἀποποιῶν τὸν κόσμον* non significat paupertatem profiteri. Theophylactus, *ἀποποιῶν τὸν κόσμον* id est, *ἀποποιῶν τὸν κόσμον*, id est, *ἀποποιῶν τὸν κόσμον*. Nihil volent es habere eorum que sunt in mundo cum vehementi affectu, sed omnibus renunciantes. Carthusianus, *Id est, qui cauid non habuerit, se, abijciendo cupiditatem & carnalitatum affectus, & cetera, que profectum virtutum impediunt.* Gortanus, *Differt secundum Glossam renunciare omnibus, & relinquere omnia: quia renunciare omnibus conuenit eis qui licite mundanis viuunt: relinquere vero omnia perfectorum est.* Sa, *Renunciat, scilicet relinquens saltem affectu.* Et in Scholijs, *Paucorum est, relinquere omnia, id est, curas mundi postponere: cunctorum autem fidelium renunciare omnibus, id est, sic tenere que mundi sunt, ut tamen non teneatur in mundo.*

LXIV. Enimvero ita prorsus oportet. Nam si nemo potest esse discipulus Christi, qui non renunciauerit omnibus: Ergo alterutrum necesse est, aut id non esse idem, quod omni dominio sese spoliare, aut Ioannem, Paulum, Philippum, Simonem Coriarium, & Onesimum, non fuisse discipulos Christi: nam hos omnes constat habuisse aliquid proprium. At hos non fuisse discipulos, manifestè est contra Scripturam. Ergo illud potius falsum.

LXV. Neque ij promouent quicquam, qui discipulos interpretantur non lata illa significatione complectente eos qui in Christum crederent: sed arctiore, eos qui profiterentur perfectiorem vitam, ut loquitur Caicatanus.

LXVI. Nam, præterquam quod significatio hæc abhorret ab usu Christi, & periculosam inducit homonymiam, saltem obseruandum sermonem haberi ad præsentem: *πᾶσι ἐξ υμῶν: quisquis uestrum.* In ijs autem ferunt saltem Apostoli, & septuaginta discipuli. Vnde Iansenius, *Est autem renunciare omnibus possessionibus proprie, eis sponte cedere, & veluti ualedictio eas dimittere, quomodo eis renunciauerunt Apostoli.* Et post, *Vnde istud ad eos proprie pertinere, qui non simpliciter volunt esse discipuli Christi: sed ad eos, qui sic discipuli dicentur, quomodo Apostoli, & Septuaginta discipuli.* Atqui in his, si minus erat Simon Coriarium, & Onesimum, at erant Ioannes, & Philippus, & post etiam Paulus. Imo & reliqui. Nam idem Iansenius, *Quomodo Apostoli, & Septuaginta discipuli, quorum perfectionem omnes ferè primi credentes sectati sunt, uelut necessaria esset possessionum renunciatio: sicut sanè in primis fidelibus ob mundi conuersionem multum erat necessaria huiusmodi declaratio contemptus rerum terrenarum.* Esto sane, inquam, eius renunciationis exemplum primitiua Ecclesia: non erit igitur abnegatio proprietatis.

LXVII. Denique, ne prolixior sit disputatio, Bellarminus (si huius hominis & Cardinalis, & Ieluitæ, nomen non postponatur Plato tantum Iesu) litem conficiet: cap. 11. libr. 3. de Bonis operibus in particulari, respondens ijs, qui ab hoc loco negabant esse Christianis diuitias licitas, *Præceptum hoc Dominicum in preparatione animi seruandum est semper: re autem ipsa, cum articulus necessitatis aduenit, ut aut Christo, aut opibus renuncianum sit.* Sic enim docent Augustinus in Epistola quipra ad Marcellinum, & Beda in hunc locum, & colligitur hac explicatio ex eodem loco Euangelij, ubi Dominus dicit, *Qui non ouit patrem & matrem, & filios, & uxorem.* Et tamen constat, parentes, & filios, & coniuges, nec auerjandos, nec deserendos esse, nisi quamto causa fidei, & honoris Dei tale aliquid postulet. Adde Binum, annot. 1 in Urbani Epistolam Decretalem, *Quod inquit Christus Lucæ decimo quarto, non posse esse discipulum suum, nisi qui renunciauerit omnibus que possidet, ita intelligendum sicut id quod sequitur, si quis uenit ad me, & non odit patrem, & reliqua. Et post, Si rerum possessio animum à Dei cultu auocet, mala est, & casu plane deserenda: si uero ministris alimenta præbendo eundem DEI cultum promoueat, utilissimè sanè Ecclesia temporalium bonorum dominium ac possessionem sibi retinet ac usurpat.*

LXVIII. Clichthouæus. A Domino institutam paupertatem adeo accuratè sunt extequuti eius discipuli, ut de ipsis merito dixerit beatus Iacobus c. 2. *Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, diuites in fide, & hæredes regni, quod repromisit Deus diligentibus se.*

LXIX. Sed, de instituta à Christo paupertate Iacobus nihil cogitauit. Imo de eorum conditione, quos ad se ille uocauit, non igitur, qui futuri

essent pauperes, sed qui iam tum essent. Sicut Paulus 1. ad Corinth. 1. *Qua stultia sunt mundi, elegit Deus: & infirma mundi elegit Deus, & ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus.* Salmero, *Apostolus inducit, apertiam DEI, qua eligit in hoc mundo eos, quorum tenuis est fortuna, & res angusta.* Et prior Guillaudus, *Pauperes in mundo, id est, Pauperes spiritu, seu spirituales & humiles quorum tenuis est fortuna, & quibus res angusta domi est.* Itaque, nulla ea est paupertas propter Christum voluntaria, id est, uotiuæ: neque enim uouetur antequam quis uocatus sit ad fidem.

LXX. Postremum Papistis argumentum ab autoritate Veterum. Et hos nominat Bellarminus, Urbanum primum, Basilium, Hieronymum, Augustinum, Cassianum, Concilium Aurelianense primum.

LXXI. Non erit prolixum responsum Urbani nomen est suppositum. Quis enim nescit *πᾶσι κοινῶς* Epistolæ Decretales? Atque adeo hæc ipsa, tum constat ex malè confutis Scripturæ centonibus, ut alia non pauca: tum Confules adscriptos habet Antoninum & Alexandrum, qui triennio fuere ante quam Urbanus sedem obtineret, si qua fides Baronio: qui ipse huius Epistolæ ne meminit quidem in Urbani vita.

LXXII. Reliquos non negamus de abnegata rerum proprietate scripsisse, nempe iam tum id est, quarto demum seculo (nam antiquior eo nullus est) in ualescente Monachatus admiratione, in Oriente maxime, patricius enim & serius paulo in Occidente: atque adeo præeunte reliquis Hieronymo. Sed illi omnes, ut factum docent, ita non probant iure factum. Nam ij ipsi, qui magnum crimen esse contendeant paucorum rerum proprietatem, disputabant, supposito statu Monachism: nempe ergo ex hypothese, cuius ueritatem debuerant prius examinare ex Verbo Dei, quam aut admittere, aut admirari.

CAP. X.

Argumenta aduersus Monasticam paupertatem.

I. **N**ostra argumenta nunc erunt.

II. Primum argumentum ex Deuter. 15. *Omnia indigens, & mendicus non erit inter uos.* Ex quibus uerbis constat mendicitatem displicere Deo. Vnde frequentia necessaria, non esse uouendam: quia constat cõmuni consensu, non uouenda quæ Deo non placeant.

III. Alphonsus de Castro, & Bellarminus de Monachis, cap. 46. bis soluunt. Primum ex Thoma Waldensi Doctrinalis Fidei tom. 1. libr. 4. artic. 1. Hæc Moysi uerba, non esse prohibitoria, sed promissoria. Id est, promittere Deum seruanti suam legem populo Iudæo, nullum fore egenum. Deinde, & quidem sua sententia melius multo, magisque conformiter ad sacram literam. Prohibitionem non esse factam pauperi: neque enim tum esse Deum loquutum cum paupere, sed cum diuitibus de pauperum subuentione, præcipiens, ut tantam pauperum curam haberent: ut nõ finirent illos per inopiam mendicare.

IV. Et uero scimus, non uo modo interpretes omnes explicasse. Sed respondemus, testibus ipsis aduersarijs, commodius intelligi prohibitionem, quam promissionem. Quod ipsa series indicat: quia præscribitur lex remissionis, quæ fiebat septimo quoque anno: per quam prohibebatur reposci mutuum datum, *Non reposcet, inquit, ab amico suo, aut à fratre suo: quia proclamata est remissio leuon: ab alienigena reposces: at quod fuerit tibi apud fratrem tuum, remittet manus tua.* In tantum (uersio est Pagnini) *ut non sit in te mendicus.* Non hoc ergo tum agebatur, ut obseruantibus legem prosperitas promitteretur: sed hoc potius, ut lex poneretur, & finis præcepti indicaretur, nempe ut ne propter mutuum grauentur ulli inter Israelitas.

V. Secundo, consentimus prohibitionem fieri non pauperibus, sed diuitibus, sensumque esse quem Carthusianus expressit, *Hoc inbeo, ut ita inueniunt succurratis, & uestra communicetis his qui propria bona non habent, & nemo de semine uestro opprimatur, inopia, aut mendicare cogatur.* Ne nos quidem absolute prohibemus mendicare, aut in ijs sumus aduersus quos disputandum sit licere, ex mendicatione viuere.

VI. Sed dicimus tertio, apparere manifesto, prohiberi in Republica Dei mendicitatem: quandoquidem manifestè hæc uerba docent nolle Deum in ea ullum mendicum esse. Et propterea teneri eius Reipublicæ ciues ex certo hoc mandato, ita liberalitatem exercere, ut inde efficiatur, ne quisquam sit mendicus. Vnde licet deprehendere immanem ingenij Papistici peruersitatem, quæ, etsi hanc liberalitatem commendet, imo vrgeat, tamen mendicitati non prouidet. Imo mendicitati prouidet, ut ea ipsa liberalitate mendicitas foueatur: & ut breuiter ac magis dilucide dicam, ut nunquam tanta sit, imo nunquam tanta esse possit liberalitas, ut non mendicent ij ipsi, in quos superstitiosa liberalitas profuderit opes plus quam regias: quasi doctum sit Danaidum. Ut omnino quatuor illis, quæ apud Solomonem, Prouerb. 30. obseruata sunt, non latari, neque dicere *Sufficit*, quinta hæc addenda sit Monastica mendicitas. Monachi enim mendicant, ut sint mendici, cum illi mendicantes, quibus uoluit Deus beneficii, mendicarent, ut ne essent mendici.

VII. Secundum argumentum, ex Prouerbiorum 30. *Vanitatem & uerbum mendax remoue à me: paupertatem & diuitias ne dederis mihi: alio me tibi qui conuenit mihi. Ne forte satur, & abnegem, dicamque, Quis est Iehoua? Et ne forte efficiar pauper, & furer, assumamque, in uanum nomen Dei mei:* Vbi sapientis uotum est contrarium uoto papistico: nimirum deprecantis paupertatem: argumento etiam addito, à grauissimis periculis, quibus illa est obnoxia. Vnde nobis argumentum. Non esse sapientis, paupertatem, imo mendicitatem affectare, optare, uouere: ac propterea, ne Christiani quidem. Ratio qui eadem ratione exponit manifeste animæ periculo, id est, Deum tentat: quod est alienum à pietate.

VIII. Bellarminus ter soluit. Prima solutio, communis ei cum Iansenio in eum locum: paupertatem esse aliam voluntariam, aliam inuoluntariam. Et Solomonem de hac loqui, non de illa.

IX. Sed primo, respondeo, paupertatem voluntariam, id est, ut interpre-

tantur Papistæ, quæ sit ab electione, vix, sed certe mendicitatem voluntariam, nunquam proponi cuiquam, nunquam probari, in Scripturis quidem: atque id delirium esse superstitiosum. Secundo, quia preces ad Deum testes sunt voluntatis, omnino sequitur id esse inuoluntarium, quod quis deprecatur. Nam contra potius statuendum, doceri, omnem paupertatem debere esse inuoluntariam, eo ipso, quod eam a se auerti velit vir pius. Et patet exemplo. Quia ibidem non tantum paupertatem, sed etiam diuitias deprecatur: & vanitatem, & mendacium. An sapiat, qui dicat intelligendam, diuitias inuoluntarias, vanitatem inuoluntariam, mendacium inuoluntarium?

X. Secunda solutio sumpta à Lyrano & Carthusiano: Sapientem loqui in persona infirmorum, quales plurimi sunt in Ecclesia: his enim nocere nimias opes, & nimiam egestatem. At viris perfectis, qui sciunt cum Paulo abundare, & penuriam pati, tam opes plurimas, quam egestatem summam, esse instrumenta virtutis. Ideo Chrysostomum ad Hebræos hom. 18. & Ambrosium in Psalm. 118. ferm. 8. Salomonis verba exponere de hominibus Testamenti Veteris, qui imperfecti essent.

XI. Ego Chrysostomum agnosco locum interpretari dictum *ἐν τῷ νόμῳ* in Veteri Testamento. Sed Ambrosium nego. Hic enim generalem tractat doctrinam, atque adeo applicat omnibus, etiam Christianis, de veteri lege, *id est 2^o*, *Diuiti igitur exemplo oraculi*, inquit, *voluntus ostendere, quæ essent hæc gratia tentamenta, quibus remedium solus potuit Christus afferre. Veruntamen & propheticis sermonibus facile est docere sarcinam quandam horum tentamentorum. Hæc enim tentamenta duo maxima Sanctus Salomon oratione propria declarauit, & rogauit, ut posset excludere, dicens, Diuitias autem & paupertatem ne dederis mihi, sed ordina mihi quæ opus sunt, & quæ abundant: ne repletus mendax fiam, ne dicam, Quis me videt? aut pauper, rapinam, & periurum nomen Domini. Potes igitur tu ista tentamenta contemneris, quæ formidauit Salomon, qui Sapientiam postulauit & meruit? Hæc Ambrosius, & alia nonnulla in eam sententiam: & certè multo rectius quàm Chrysostomus: ex quibus apparet, hoc insigne moderationis exemplum, non solis aptum esse veteribus sub lege, sed commune etiam omnibus pijs, atque adeo Christianis.*

XII. Verum enimvero, perfectos, quos nobis, quæso, Bellarminus propinabit? Eos-ne quia assequuti sint, an eos potius, qui quærant perfectionem? Nam si illos, nihil ad rem dicit, quia docuit nos iam ante hanc de votis disputationem, in eorum esse gratiam, qui nondum sint adepti, sed qui laborant adipisci: ideoque nondum sunt perfecti. Si autem verum, fuisse loquutum Solomonem in persona imperfecti hominis, profecto docuit, omnes imperfectos homines, debere hanc paupertatem deprecari, nedum vouere. Sunt autem imperfecti Monachi. Ergo hi debent non vouere: sed serijs precibus amouere mendicitatem: vt appareat peruersum illis esse cerebrum, qui tanto fastu contra faciant.

XIII. Sim autem perfecti nomine abutitur, vt eos denotet, qui peculiari affectu affectant perfectionem, quam nondum sunt adepti: At meminisse potuit in his non tantum Paulum fuisse, sed etiam Salomonem. Vnde Glossa ordinaria, *Hæc adhuc vir, cum quo erat Deus, sermonis eius igne radiatus, ad ipsum Deum conuersus. Quæ quidem encomia nemo fidelium nescit eius esse, qui iam multum promouerit in amore perfectionis. Ambrosius, Potes tu ista tentamenta contemneris, quæ formidauit Salomon, qui sapientiam postulauit & meruit?*

XIV. Tertia solutio, recusari hoc loco, non quamlibet mendicitatem, sed illam solam, quæ est exposita periculo, qualis non est religiosorum mendicantium: qui sciunt sibi non defutura necessaria: tum ob Christi promissionem. Math. 19. *centuplum accipiet*: tum ob populi deuotionem, à quo non dubitant se suscepturos temporalia, cum ei ministrent spiritalia.

XV. Facile nobis persuadet Bellarminus, non eam voueri à Monachis mendicitatem, à qua sit quicquam periculi: et si non persuadeat securitatis illas esse causas. Nam certè, qui in communi diuites sunt, in portu nauigant, sibi que in crastinum abundè prouisum sciunt. Neque vero eos quicquam oportet sibi de Dei bonitate polliceri, qui præter vocationem induunt se in paupertatis periculum, magis quàm qui ex alto deiciant sese. In populi deuotione, id est superstitione, scimus esse mendicantibus periculum, non minus quam olim ijs quibus Deam Syram gestantibus mendicatio nihil habebat admodum incommodi. Sed causas illi sanè videntur.

XVI. Solutio, vt prima, inepta est. Nam paupertatem nulli periculo obnoxiam, quis vnquam commentus est? Aut si est aliqua, quid magnum præstant, qui tanto se perfectionis amore efferunt? Nemo est enim, quantumlibet imperfectus, qui non facile sibi persuaderi sinat hanc, quæcunque est, paupertatem, vt amet. Et illi puto, ipsi Syra Deam ministri haud aliter erant animati. Ita tuæ perfectionis laudem minuit lesuita, dum Sophista laudem affectat. At Solomon non distinguit paupertatem, sed causam indicat eius non vouendam: quemadmodum, cum nimias diuitias deprecandi causam ponit, ne satiatus abneget, non significat quasdam esse diuitias, huius periculo obnoxias: itaque nullas nimias diuitias optandas. Ad eandem rationem, omnem nimiam paupertatem, id est, mendicitatem ob illud periculum fugiendam, certè non propria electione suscipiendam.

XVII. Tertium argumentum, Genes. 3. *In sudore vultus tui vesceris pane tuo*. Lex est ab initio imposta homini post peccatum, gemino constans capite, vt comedat quisque panem suum: & non comedat sine labore. Lex est diuina: itaque ab homine non violanda. Neque enim verum ingredi homines in Ecclesiam, aut profiteri pietatem, vt leges diuinas pro nihilo habeant. Porro, non potest suus cuique panis dici, in quo nihil habet proprii. Voluit ergo Deus, non manducari à quoquam panem, non sibi proprium. Quod eo magis patet, quo disertius additur sudor vultus, id est, labor corporis: quæ ratio legitima acquirendi dominij, vt certum sit non aliter appellari panem tuum, quam per proprietatem dominij. At proinde, qui omnium rerum proprietati tenentur, hos manifestum est prætextu religionis contra ire diuinæ institutioni,

XVIII. Vnde tanto potentior in rem nostram conclusio, quæto certiore habemus eius legis renouationem in Ecclesia Christiana. ad Thesalon. 3. *Denuntiamus vobis, fratres, per nomen Domini nostri Iesu Christi, vt subducatis vos ab omni fratre qui à rebus inordinatè se gerit, & non ex tradita doctrina, quam accepit à nobis. Nam ipsi scitis quomodo oporteat nos imitari quoniam non inordinatè nos gessimus inter vos, neque gratis panem edimus, acceptum à quoquam: sed cum labore & arimna, nocte ac die operantes, ne quem grauaremus. Non quod nobis id non liceat: sed vt nosmetipsos pro exemplari exhibeamus vobis ad nos imitandos. Etenim cum essemus apud vos, hoc denuntiabamus vobis, si quis nolit operari, etiam non edito. Audimus enim quosdam versari inter vos inordinatè, nihil operis facientes, sed curiosos agentes. Iis autem qui sunt istiusmodi, denuntiamus, & eos obsecramus per Dominum nostrum Iesum Christum, vt cum quiete operantes, suo pane vescantur. Item 1. 4. *Et contendatis quieti esse, & res vestras agere, ac operari proprijs manibus vestris sicut vobis denuntiauius, vt vos gratis honestè erga extraneos, & nulla re vobis opus sit. Axiomata: Nullus in Ecclesia inordinatè se gerat. Si quis faciat, segregetur ab Ecclesia. Qui non suo pane viuunt: inordinatè gerunt se. Qui nihil operis agunt, vescuntur pane non suo. Singuli laborant, vt ne cui quicquam defuit, id est, ne quis mendicet. Hæc axiomata, si ad Monachos nihil pertinent, age, solem hunc negemus meridie hoc lucere.**

XIX. Bellarminus, cap 42. negat Monachos teneri ad laborem manuum, magis quam seculares. Nam, inquit, laborare manibus, vel præceptum est, vel consilium. Si præceptum: ergo omnes tenet, tam seculares quam Monachos. Præterea, si præceptum, vel naturale, vel positium. At non positium, quia nullum dari potest. Sin naturale, ergo, vel obligat absolutè, vel certo casu. At absolutè non obligat singulos, sed tantum omnes, id est, Rempublicam, in qua alij sunt opifices, alij agricolæ, alij medici, alij iudices. Si autem non singulos, ergo neque religiosos: quia habent proprium officium orandi, psallendi. Certis autem casibus si obliget, non minus obligabit seculares, quam religiosos: hi enim casus sunt, si quis non habeat unde viuatur, nisi operando: si quis alteri teneatur cibum prouidere, nec possit aliter: si quis aliter nequeat, vel otium fugere, vel tentationes superare. At hi casus communes sunt tam secularibus, quam religiosis.

XX. Ad Pauli locos obiectos respondet, non loqui ad Religiosos, sed ad seculares: deinde non præcipere absolutè, sed ad vitandum furtum vel scandalum, vel otium. At Monachos posse aliter ea vitare.

XXI. Sed Bellarminus, aduertum quos disputet viderit. Cerre si aduersus Caluinum, bis peccat in definienda quæstione, & quom laborem vrgere manuum, & cum negat magis teneri Monachos, quam seculares: neutrum enim est contra Caluinum: qui §. 10. c. 13. lib. 4. quem Sophista locum laudat, nihil ipse definit, pronunciatve de hac controuersia: tantum ex Augustino discrimen obseruat veterum, recentiumque Monachorum, Augustinus, inquit, fortiter contendit non licere Monachos de alieno otiosis viuere, tale exemplum suo tempore extitisse negat bene constituti monasterij. Nostri præcipuè sanctitatis sua partem in otio collocant. Hæc Caluinus: nec falso, quare non debuit Bellarminus eius nomen in hac controuersia deferre, sed Augustini potius.

XXII. Cæterum, ueque nos manuum laborem vrgemus, si hunc, non alium intelligas, quam qui solet esse vel artificum, vel agriculturalium, sed in genere laboris in sua cuiusque vocatione legitima, quo fiat, vt non sibi soli quis seruiat, sed publicis commodis, & complectatur non tantum medicos, & iudices, sed etiam quoscunque patres familias, qui etsi manuaras artes non exerceant, tamen in suis colendis fundis occupantur, vnde sibi suum panem prouideant. Neque vero negamus atque hac laborandi necessitate teneri seculares, ac monachos: imo contra vrgemus, atque teneri: ac proinde Sophistam nihil nisi tergiversari, & prodere causam suorum Monachorum, qui prætextu saxe mendicitatis, otiose vescuntur, non suo, sed alieno cibo.

XXIII. Ponamus ergo sanè ipsdem cum plebe Christiana legibus teneri Monachos, ad laborandum: & erit nostra plena conclusio. Nam seculares omnes tenentur laborare, vt suum sibi proprium panem comedant. Hoc si & Monachi debent, necesse est illis proprium esse panem, id est, Hebræorum more, quicquid ad vitam sustentandam necessarium: quare & Monachi debebunt habere proprium, non vero seipsos, inuita natura, inuita lege Ecclesiastica, cogere ad paupertatem, id est, otium.

XXIV. Hoc vno iugulatur quicquid in hanc partem Bellarminus disputat, vt ne sit opus longo labore. Id, inquit, vel præceptum est, vel consilium. Est, inquam, præceptum, non consilium, qua notione consilium Bellarminus dicit. Ratio manifesta, quia non permittitur singulorum arbitrio: alioquin neglectus non puniretur separando ab Ecclesia. Tenet ergo, inquit, tam seculares, quam monachos. Rectè, inquam, sed & tam monachos quàm seculares. Ideoque nos vicimus.

XXV. Rursus, si præceptum, ergo vel naturale, vel positium. Naturale, inquam, si naturam repetas, non ab ipsa creatione, sed à corruptione, vnde necessitas inducta separandarum possessionum: quo factum, vt tum primum Adamo Deus assignaret panem suum, qua phrasi proprietatis significatur. Sed si naturale, inquit, ergo obligat vel absolutè, vel certo casu. Imo vt unquam: nam laborare, absolutè obligat: at vero certo casu, hoc vel illo modo laborare, puta manibus. At absolutè, inquit, non obligat singulos. Falsum, inquam, & idipsum patet exemplo Reip. quo ille vitatur, nam in ea laborant, non artifices tantum, & agricolæ: sed etiam Medici, & Iudices, et si alio laboris genere. Itaque, obligat etiam Religiosos.

XXVI. Religiosi, ergo, contra ius facti agunt, qui nihil agunt: imo qui nihil volunt agere. Nam quod illis proprium Bellarminus assignat officium orandi, psallendi, ridiculus est & vehementer quidem. Etenim, quem nos hic laborem dicimus, is refertur ad victum comparandum. Victus autem comparandi ratio gemina, vel ex suo, vel ex alieno. Ex suo ij viuunt, qui habent proprium dominium in res eas, à quibus homini victus est, cuiusmodi diuites sunt, quibus sui agri, suæ vineæ sunt, & similia. Ex alieno, qui fundi nihil obtinentes proprii, ex alienis habere coguntur omnia.

XXVII. Ab hoc duplici hominum genere, geminus etiam labor distinguendus. Nam quibus est fundus proprius, eorum labor in suo occupatur, vt ex eo viuant ipsi, quamuis non semper alijs proficit. Sed quibus fundi

paratio est habentis cum diuitijs sapientiam, cum illo qui solas habeat diuitias, ut Titelmanno placet, quem citat cum laude sequitur, Bellarminus. Nota, Simplicior ille sensus est.

XLIV. Et vero Titelmannum quis praeferat Hieronymo? Maior est gloria sapiens cum diuitijs, quam tantum sapiens. Alij enim sapientia indigent, alij opibus: & qui sapiens est, & non diues, potest quidem prestare quod bonum est: sed interdum non potest prestare quod petitur. Me vero iudice, ne Carthusianus quidem illi concesserit, Vtilior est sapientia cum diuitijs, quam sine eis. Nam bonum creatum additum bono creato afficit ipsum aius. Lyranus, Vtilior est sapientia cum diuitijs, quam sine diuitijs, hoc est intelligendum ceteris paribus, sapiens enim habens pecunias potest ex eis exercere opera pietatis & liberalitatis, quod ita non posset carens diuitijs. Hi Titelmanno & omnes plures sunt, & singuli antiquiores: cur non & singuli, & omnes maximè, maioris apud Bellarminum pretij.

XLV. Sed Titelmannus rectè. Quomodo, inquam, rectè? Quia Hebraicè legitur, Bona est sapientia cum diuitijs. Omnino, inquam. Sed quid ad rē? Non potest dici, quod sapientia est mala sine diuitijs. Concedo, inquam: sed hoc rursus, quam vim habet? An, quia non potest comparatio consistere, nisi altera pars intelligatur mala? Atqui, haec eadem ratio prohibebit alteram partem esse diuitias. Ratio ex ipso textu, ubi manifestum est, confiderari has, quatenus bonae sunt, Sicut protigit sapientia, protigit pecunia: quod ipse Bellarminus cognouit. Ergo utrinque comparantur bona: tum patet nihil incommodi esse, in eo, quod sapientia sine diuitijs non sit mala, ut ne dicatur haec illi comparari cum diuitijs.

XLVI. Porro illud, Bona est, sumi pro meliori, non tantum suadet auctoritas Veteris interpretis, quae debuit esse Bellarmino authentica, sed etiam ipsa natura comparationis: Nam res bona, bonae rei comparatur: nec potest id fieri, nisi in æqualitate, aut in aequalitate. Aequaliter comparantur, quae aequae bonae sunt. Et contra. Hic vero, siue compares sapientiam cum diuitijs, cum diuitijs sine sapientia, manifesta res est: quia diuitijs proponuntur ut dixi, non ut malum, sed ut bonum, utpote protegentes: si autem sapientiam cum diuitijs, cum sapientia sine diuitijs, rursus manifestum, quia geminatum bonum maius est. Itaq; rursus Hebraicè legamus bona, tamen explicandum est melior. Est autem fatear, utrumque dici posse, videlicet meliorem esse sapientiam cum diuitijs, diuitijs sine sapientia; & meliorem esse sapientiam cum diuitijs, sapientia sine diuitijs, tamen, si dicatur meliorem esse sapientiam cum diuitijs, non addito altero membro, nego alium esse sensum, quam ut comparatur sapientia sine diuitijs, sapientia: tum diuitijs: quomodo, cum ille olim dixit, *Gratior est pulcro veniens in corpora virtus.*

CAP. XI.

De obedientia Monastica, status questionis.

I. Post paupertatem disputatur de Obedientia, quam tamen nudè nominat Bellarminus, nec definit: quasi cum ijs negotium habeat, qui omnem omnino exsuerint obedientiam: cum tamen non nisi de monacho agat obedientiam. Nos ergo distinguimus.

II. Obedire est propria voluntatem voluntati alienae subijcere. Sed obedientia, una est infinita, altera finita: ita enim doctrinae gratia liceat appellare. Infinitam dico eam, quae nullis legibus, aut conditionibus coercetur: & quaecunq; tandem aliena fuerit voluntas, hanc sibi dicitur exsequendam promittit. Hanc Iesuus Creca, solent appellare (vide in Ignatio vita Maffæum lib. 3. c. 7. & Ribadenciam lib. 5. c. 4.) Cusanus irrationalē. Illi, credo, quia, claudat oculos: ut nō magis in eo quod praecipitur, disquirat, quam ea casus in itinere, per quod deducitur. Iste, quia ratione nulla imperat, sed mandato solo imperantis agitur, instar brutae pecudis. Finitam contra appello, quae non prius obedit, quam imperij causam inquisierit, rationemq; viderit. Itaq; non habet imperantis auctoritatem profumma lege: imo eam legi subijcit, quam, si migret, nullam agnoscit.

III. Hoc posito, auctoritatem rursus aliam diuinam dicimus, aliam creatam. Auctoritati diuinæ Catholici omnes agnoscunt illam debere obedientiam, quam infinitam nuncupauimus: neq; permittunt cuiquam inquirere in imperia diuina: ijsve obijci rationem ullam, quacunq; tandem specie blandiatur. Sic enim Abrahamum statim, ac iussus est, vnicum suum natum immolare, non distulisse obsequium: etsi vix potuerit ab eo exigi quicquam à ratione magis alienum. Et Saul durissimè castigari, qui, iussus Amalecitis nullis parcere, regem tamen seruari, plausibiliter humanitatis, imo & pietatis in Deum, praetextu. Neq; vero Papistae dissentiunt.

IV. Alterum genus obedientiae debere Creaturae, itidem Catholici docent, nimirum, ut qui inferiores sunt, superioribus auctoret. Hanc etenim esse mentem quinti in Decalogo praecipit: *Honora patrem tuum & matrem tuam.* Superiores esse, tum in Ecclesia, tum in Republica, ad utrosq; protendi praecipit Nam Scriptura diferta. De civili magistratu ad Rom. 13. *Omnis anima potestati subiecta esto.* De Ecclesiastico ad Heb. 13. *Obedite ducibus vestris & obsecrate, vigilate enim pro animabus vestris.*

V. Obedientiam, intentionem admittere, & remissionem pro varijs gradibus auctoritatis. Nam hanc alias maiorem, alias minorem, ut maior in publico magistratu, quam in villo priuato: quomodo solent etiam privati ordinis causa personae eligi, quae aliquo priuato iure sociatis praesint, ut sit, exempli gratia, inter mercatores, inter artifices. In magistratibus, alij suppremi, ut in Republica Reges, in Ecclesia Episcopi, alij inferiores, quicunq; nimirum supremis subsunt. Semper maiorem magisq; necessariam esse obedientiam exhibendam, eis personis quarum auctoritas maior sit. Neque puto Papistas aliter visum. Certè Francisci Sennij Tract. 2. qui est de Consijs, c. 21. verba sunt, *Obedientiam, quae superioribus debetur, illa, quae obedientiam est supremo, ex quo per quod, & in quo sunt omnia, summè & pra omnibus stringit. Quae vero medijs, non ita obligat, quod medijs non sit obtemperandum, nisi quatenus cum superioribus consentiunt.*

VI. Itaque vno verbo constanter Catholici tenent, Deo quidem abso-

lutè, simpliciter obediendum, & ad id rē: ita ut obedientiae ratio sola sit Dei auctoritas, voluntasque. Sed, cum ad creaturas deuentum fuerit, tum obedientiae certos esse limites circumscriptos, quos si migrarit obediens, stultè faciat, ut mollissimè loquar. Quare neminem debere obedientiam reddere, nisi certus sit apud se, posse legitime reddere.

VII. Papistae haud paulo aliter sentiunt, maximè in hoc capite de obedientia monastica. Nam etsi multa protestentur similia Catholicis, ut ostendant sibi persuasum nemini esse obediendum iubenti peccatum: tamen cum ad rem ipsam ventum est, ei cuius sunt obediendi partes, nullas esse volunt iudicandi: atque hanc appellant perfectam sui abrenuntiationem. Ioannes Nonius Barretus cogitabat, alteri voluntatem suam regendam committere, & ab eius nutu ita pendere totus: ut ne minima quidem in re sui esset iuris, apud Nicolaum Godignum Abissinarum rerum libr. 2. capite 4.

VIII. Certè Ignatius suis Iesuitis hanc imposuit. Docent in eius vita Maffæus lib. 3. c. 7. & Ribadencia 5. 4. *Quemadmodum, aiebat Ignatius apud Ribadenciam, in hominum vita duae sunt hominibus propriae ad beatitudinem viae, altera per uulgata & communis, quae diuinis praecipis seruandis continetur: altera illorum tantum, qui Christi consilia toto pectore complectuntur, quae vita religiosorum est: sic in ipsa Religione duo sunt obedientiae genera, quorum alterum imperfectum est, alterum perfectum, & omnibus absolutum numeris: in quo vis obedientiae elucet, hominisq; religiosi virtus maximè apparet. Imperfecta obedientia male oculata est: perfecta sapienter caeca: illa iudicium suum de imperatis rebus sibi seruat: haec iudicium proprium non habet, illa in alteram propendet partem, haec in neutram potius mouetur: illa mandatis patet, iudicio repugnante: haec iudicium iudicio, voluntatem superiorum suorum subijcit voluntati. Post paulo, Haec obedientia rectissima est, & omnibus expleta numeris, maximèq; excellens, quae veluti captiuamus intellectum in obsequium obedientiae, & id rectum credimus, quod deus sit à superioribus nostris praescriptum, neq; rationes praescripti exquirimus, aut sequimur: sed obedientiam auidè arripimus, nulla alia de causa, nisi quia obedientia est, iterum, Non debeo cogitare, qui me gubernat summus-ne, an medius, an infimus sit: sed deuotionem meam omnem in obedientiam collocare, & illud magni pendere, quod loco Domini nostri praesidet. Nam personarum si distinguas gradus, perit obedientiae vis. Iterum, Ita me institui, quasi corpus mortuum, quod neq; voluntatem neq; sensum habet, secundo non aliter, quam paruulam quaedam statuam, quam quouersum uelis, haud repugnantem vertas, tertio talem me fingam, atq; praestabo, qualis baculus in manus eius est, ut me ad arbitrium suum utatur, ibiq; ponat, ubi eum adiuuare maximè possim. Sic ego paratus ad omnia sum, ad quae mea me religio uelit, nihilq; recusem quod sit imperatum.*

IX. Exemplo etiam praeruit. Dixit Si summus Pontifex imperaret ut bostio Tyberino scapham, vel nauigium quocunq; primum inuenisset, clauso, malo, uelis, ceterisq; armamentis spoliatum conscenderet, & ita absq; uillo commessu mare traiceret, se id non solum aquo, sed etiam libenti animo facturum. Cum autem quidam summus vir, hunc illius animum admirans, Ignatio diceret, quae istac esset prudentia? Respondit Ignatius, Prudentia, Domine, non tam est parentis, quam imperantis: siue ut Maffæus expressit, Prudentiam quidem non obediens, verum imperantis esse. Idem cum sibi aegroti multa medicus praescriberet, quae ipse non leuibus argumentis minimè accommodata sentiret, ac medicum ipsum nec literatissimum, nec exercitissimum sciret esse, tamen ne cum extremo quidem vita periculo, contra eius edicta nihil unquam essetatus est.

X. Nec aliter excoit, Sacerdos qui iam, edito iam signo, paratus ad sacrificium, & calicem tenens, cum d' vestuario pedè efferret, per nuntium ab Ignatio, qui totam rem d' propinquo obseruabat, repente tubetur sacro deposito ornatu, pallium sumere proeundi causa. Paruit ille sine tergiversatione, ac palliatus Patri confestim apparuit: tum Ignatius querit, ex homine, sit-ne aegre passus in prociactu iam ad immolandum subito se tuberi sacra deponere vestimenta, remq; diuinam emittere? Cum ille se ne tantulum quidem esse commotum affirmaret. Atqui me scito, inquit Ignatius, nō quid te in praesentia opus habeam sed periculi: audi tui obsequij gratia, id fecisse de industria, & sic habeto plus te sacrificio deferendo esse meritum, quam si id ipsum, ut destinaueras, illico peregisses. Quendam etiā cum maximè confessionem nobilis cuiusdam exciperet, consulo vocari ad se iussit: cum ille se per acta mysterio, mox assuturum dixisset, accersit eum deniq; at ipse nihilominus confitentis rogatu haesit paululum: ac venientem demum Ignatius: ita ne uero: iterum, inquit, enocandus es? Et grauioribus uerbis accepit hominem, non quod illius tum quidem opera egeret, sed obseruantiam & diligentem experiri uoluerat.

XI. Hæc placuit paulo prolixius describere: quia alioquin nullo loco inueni distinctè Papistas suam hac de re scientiam profiteri: atque adeo Bellarminus in hac controuerfia, nihil nisi obedientiam indefinitè commendat, nec ullis describit circumstantijs, ut possit quisquam certo scire, aut cui aut quam uelit deferri, sed quaestionem nos possumus circumscribere, ne à scopo disputatio recedat.

XII. Primum igitur notemus agi de obedientia, non Deo, sed homini praestanda: & quidem homini, non ea imperanti, quae acceperit ipse à Deo, sed suos varios animi motus expromenti, interdum serio, interdum tentamenti causa, & uita dicam, ioco. Praeterea, homini, cui imperandi nullum ius sit, nisi ab eius voluntate, qui se ei subijciat prorsus sponte: adeo ut locum nullum habeat, aut in magistratibus Republicae, aut in Pastoribus Ecclesiae: adeoque non possit dici à Deo imposuit, sed ab humano arbitrio constitutus: tales enim sunt omnes siue Eremitarum, siue Cenobitarum Abbates, Archimandrita, & similes.

XIII. Secundo, obedientiam eam designari, ita cum bruta stupiditate coniunctam, ut iudicij partes omnino tollat, discretioniq; nullum locum relinquat: tollat etiam gradus imperij summi, intermedij, infimi. Adeo ut non tantum propter Deum obediendum sit, quae ratio obtinet in omnibus legitimis dignitatibus: sed etiam eodem modo obediendum hominioni quo Deo ipsi.

XIV. Nam ex his ita obseruatis plena fiet quaestionis nunc disputandae notatio: Vtrum uouere liceat cuiquam Christiano se ita obediturum imperijs cuiusquam hominis, etiam non fungentis munere publico in Ecclesia, aut Republica, tanquam ipsissimo Dei Imperio, & quidem immediate accepto. Hanc thesin Papistae asserunt.

Catholici negant.

C A P. XII.

Argumenta Papislica pro caca obedientia.

I. Affirmantium argumentum primum: Grata est Deo obedientia, etiam in ijs rebus, quas ipse non præcepit. Hoc probat ex Hieremiae 35. ubi laudantur & remunerantur à Deo filij Ionadab, qui, ut obedirent patri suo, non bibebant vinum, non ferebant agros, non habebant domos: sed habitabant perpetuo in tentorijs. Omne autem quod Deo gratum est voueri illi potest. Igitur obedientia: etiam alioqui non debita, Deo voueri potest.

II. Respondeo, iam ex statu questionis constare, agi de obedientia nõ qualibet, sed caca: Itaque concedendo maiorem, omnia, quæ Deo grata sunt, posse voueri: nego minorem, Gratum esse Deo obedientiam cacam homini delatam. Nam voueri possentionalem, non imus inficias: vt si quis voueat se regi suo in rebus temporalibus obsequaturum, & iustis, vel suo Episcopo in spiritualibus legitimis.

III. In Recl. abitis, quorum exemplum repetitur ex Hieremia, negamus vllam fuisse, vllamue laudari cacam obedientiam. Nam primo, legitima fuit imperantis persona, habensque à Deo auctoritatem: pater scilicet, cui ex lege, tum diuina, tum naturali, ius fuit filijs imponere leges. Itaq; non fuit aliquis priuato arbitrio delectus: sicut in Monasterijs Abbas, qui quicquid habet imperij, id debet superstitioni Monachorum.

IV. Secundo: leges impostæ fuerunt merè policitæ, nõ autem religiose, aut spectantes animæ salutem, abstinere vino, domos nullas ædificare, aut agros possidere, vineasq; in tabernaculis habitare. Quæ omnia genus quoddam politicæ vitæ describunt, diuersum ab eo populo, in cuius medio Rechabita habitabant, tanquam aduenæ: sicut hodie Iudæis ita cõceditur habitatio in Papæ ditione, vt tamen facultas nulla sit fundi vllius possidendi.

V. Tertio, ipsa imperia nec iniusta fuerunt, nec vero etiam dura, tum autem suas sine dubio causas habuerunt, siue eas, quas recenset Martyr ex Rabbis in 10. c. 2. Reg. siue alias, quas nõstra scire non interest. Itaq; describitur ab Hieremia, exacta quidem, & sollicita obedientia, cuiusmodi est in omnibus populis, qui suam amant politiam, sed caca nulla: quam nobis nunc obtrudunt Monachi.

VI. Instat Bellarminus contra Martyrem: Rechabitas, plus fecisse quã præcipere lex diuina. Probat primum, teste Rabano. Deinde, quia Propheta comparat Rechabitis obedientibus patri suo, Israelitis Deo non obedientes. Quæ comparatio frigeret, si illi diuino præcepto obstricti fuissent obedire patri in rebus illis: tunc enim nulla esset antithesis inter Deum & creaturam: nam & filij Ionadab obediissent Deo, & filij Israel non obediissent Deo. Tertio, quia non sic laudarentur aut remunerarentur, nisi aliquid singulare fecissent. Quarto, quia etiam tenentur si filij obedire parentibus, non tamen in omnibus, postquam ad annos pubertatis peruenerint. Est enim vnusquisq; sui iuris in deligendo statu & genere vitæ, alioqui nihil interesset inter seruos & liberos.

VII. Respondeo, primum nec sic quidem oppugnari solutionem, sed partem tantum suggillari: eam videlicet, quæ auctoritatem personæ considerat. Itaq; supersunt duæ aliæ, à natura tum mandatorum, quæ non pertinebant ad pietatem erga Deum proprie, tum obedientiæ, quæ caca non fuerit, quarum vtraq; sufficit ad argumentum infirmandum.

VIII. Secundo, fecisse aliquid Rechabitas, vltra quam lege diuina tenebantur, potuit dicere Rabanus, etsi locum non viderim. Est enim verum: sed tantum si materia imperiorum consideretur: neq; enim lex diuina prohibebat vsum vini, aut domus, aut agri. Sed eadem ratio est omnium, quæ sunt ex imperio, siue paterno: siue regio, siue vllò legitimo. Verum, quia ipsa obedientia mandata est, nec potest exhiberi nisi in singularibus actionibus, ideo singulares actiones eo ipso quod fiunt ex obedientia diuinitus imposita, fieri etiam dicuntur, & merito, ex vt legis diuinæ. Itaq; Paulus ad Coloss. 3. *Liberi, auscultate parentibus in omnibus: hoc enim gratum est Domino.* In omnibus, inquit, non quidem absq; vlla exceptione, sed ijs ad quæ se patria potestas extendit, vt bene animaduertit Bellarminus: sed in ijs, hæc sunt de quibus nunc agimus.

IX. Nam quod filios idem vult intelligi paruulos, non est à sana doctrina. Nunquam enim scriptura sic distinguit: sed vniuersaliter imperat liberis, vt honorent parentes. Amo, Paulus liberos potius protectos à tate alloquitur: nam quid attinebat *ueneris* nominare, quibus separata est disciplina: ratio propter ætatis infirmitatem, à disciplina virorum? At Paulus ad viros scribit, ijsq; alia plurima dat præcepta. Tum autem, subiicit statim, *Patres, ne irritate liberos vestros, ne despondeant animum.* Pertinet hæc prohibitio ad infantes, an etiam ad prouectos? Quæ vero ratio ferat, vt prohibeantur irritare liberos prouectos patres: non iubeantur liberi prouecti obedire parentibus?

X. In comparatione, quod sit acumen Bellarmini, equidem non video. Nam etsi obedit Deo, qui obedit parentibus: tamen alia ratio est mediæ obedientiæ, alia immediatæ. Neq; quicquam dubitat longè maiorem deberi obedientiam ipsi Deo loquẽti, præcipienti q; quam hominibus quibus nos Deus iussit obedire. Vt certum sit axioma, si obsequium debeatur parentibus, multo magis deberi Deo. Itaq; grauissimè peccasse Israelitas, qui Deo nõluerunt obtemperare: cum tamen Rechabitis tanta fuerit cura non discedendi à paternis imperijs.

XI. Aliquid singulare præstitisse Rechabitas, quis negat? Sed Bellarmino non erat hoc propositum probare, verum, anno tenerentur hoc singulare præstare. Laudantur vero, non quod abstinerent vino: sed quod patris mandata obseruauerint: *Pro eo quod obedistis præcepto Ionadab patris vestri: & custodistis omnia mandata eius, & fecistis vniuersa quæ præcepit vobis: propterea hæc dicit Dominus exercituum, Deus Israel: non deficiet vir de stirpe Ionadab, stans in conspectu meo cunctis diebus.* Prout in lege promittitur multiplicatio dierum honoranti parentes.

XII. Non teneri liberos adultos obtemperare in omnibus, Iesuitica

est Theologia, non Christiana: & falsum, esse sui iuris in eligendo genere vitæ: qua de re post paulo pluribus. Sed differunt, inquit, liberi à seruis. Ita sanè, inquam, nec adulti tantum, vtrum etiam infantes, sed hinc non sequitur suo iure posse sibi vitam eligere. Nam eo ipso satis differunt, vt nihil aliud dicamus, quod filij sint: quæ propria est & essentialis distinctio. Neq; ea definitio est libertatis, vt nihil non liceat. Nam etiam liberis multa non licent, vt pote quæcunq; sunt contra fas, & honestum: vnde & seruis quædam licent, quæ liberis minime.

XIII. Secundum argumentum, apud Bellarminum valde intricatum, ego quidem concipio in hæc formam: Omne Consilium Christi potest voueri. At obedientia caca est consilium Christi. Ergo potest voueri. Probat minor. Abnegatio sui est consilium Christi. At obedientia caca est abnegatio sui. Ergo obedientia caca est consilium Christi. Patet maior, Matth. 16. *Qui vult venire post me, abneget seipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Patet minor: quia abnegatio sui est perfecta obedientia.

XIV. Respondeo, de discrimine consiliorum & præceptorum paulo post actum iri. Nunc omnia maiore, nego minorem. Nunquam enim Christus aut iussit, aut saltem consuluit, vt cuiquam hominum, multo minus ei, cuius nulla sit, aut in Rep. aut in Ecclesia auctoritas legitima, quicquam se agendam ducendum præbeat, nullo discrimine, nulla inquisitione recti & obliqui. Itaq; hoc genus obedientiæ nego à quoquam Christiano, aut vouendum alij, aut ab alio admittendum.

XV. In secundo syllogismo, possum negare abnegationem sui consilium esse, cum sit præceptum: sed differentum est, dum de consilij agam. Itaq; rursus minorem nego: videlicet obedientiam cacam esse eam abnegationem sui, quam siue præcepit, siue consuluit Christus. Ratio negadi, quod hæc abnegatio omnibus Christianis sit necessaria, adeo vt nemo possit aliter esse Christianus. At obedientia caca, ne Papis quidem auctoribus, necessaria: multosq; esse absq; ea Christianos illi ijdem concedunt, cum solos Monachos ei subiiciunt. Esse necessariam abnegationem patet ex ipsis verbis: quandoquidem, *Qui vult venire post me,* nota est vniuersalis axiomatis. Franciscus Lucas, *Si quis, quisquis: sit princeps, sit plebeius, sit senex, sit iuuenis, sit vir, sit femina: vult post me venire, me sequi, non pedibus, sed imitatione, discipulus verusq; sectator meus esse, & fieri cuius regni caelorum quod à me predicatur, & promittitur.* Iansenius. *Quasi dicat, Multi sunt, qui pedibus me magis sequuntur, quam imitatione. Et alij alia de causa me sequuntur: sed quisquis vult esse verus sectator meus, huic necesse est ante omnia abneget seipsum.* Dicit in genere, si quis, hoc est, quisquis vult: vt intelligamus ad omnes istud pertinere, nec quenquam nisi hac ratione posse esse illius sectatorem. Gorraus, *Dicit ergo, Tunc, scilicet post oburgationem Petri, Iesus dixit discipulis suis, Si quis vult: quasi dicat: Noli prohibere passiones, quia oportet sustinere eas, his qui volunt saluari.* Vnde hoc dixit discipulis quidem principaliter, sed ex consequenti etiam turba. *Qua enim superior dicta sunt, dixit discipulis seorsum: hæc autem ad omnes generaliter loquitur, quia imitatio passionis ad omnes pertinet, vel per martyrium, vel per penitentiam.* Didacus Stella, *Optimè, postquam loquutus est Dominus de sua passione, agit de sequela eius, & negatione sui ipsius, & crucis labore vniuersisq; nostrum: vt doceat, atq; insinuet, quod non sufficit eum fuisse mortuum pro nobis, & quod sanguinem suum effuderit: sed quod etiam opus est, nos eum sequi, illum imitantes, & nos ipsos abnegantes, frangentes & cohibentes appetitum sensitium, & tollentes crucem penitentia & laborum.* Ne vanè & insanè aliquis existimaret solam Christi passionem sufficere, & mortem ipsius ad nos saluandos, absq; eo quod nos nihil faceremus. *Optimè quidem Christus mundi saluator, cum sua passionis mentionem fecit, & eius quod pro nobis prestavit, statim agit de eo, quod nos prestare debemus, si volumus frui fructu, & merito sua passionis sanctissima.* Thomas, *Quasi dicat, Tu dicis mihi, propitius esto tibi. Ego autem dico tibi, quoniam non solum me prohibere à passione nocuum tibi est: sed neq; saluari poteris nisi patiaris & moriaris, & vita abrenunties semper.* Post, *Non autem solis discipulis suis, sed & commune hoc dogma orbi terrarum proponit dicens, Si quis vult, id est, si mulier, si vir, si rex, si seruus, si liber. Satin testium est? & quidem ex aduersariorum sinu.*

XVI. Rursus abnegatio sui ipsius, non est, cacam obedientiam vouere vlli homini, sed longe aliud. Thomas, Gregorius in homilij. *Quod nisi quis à semetipso deficiat, ad eum, qui super ipsum est, non appropinquat.* Sed si nos ipsos relinquimus, nos ibimus extra nos: vel quis est qui vadit, si se deseruit? Sed aliud sumus per peccatum lapsi, aliud per naturam conditi: tunc ergo nosmetipsos relinquimus & abnegamus, cum vitamus quod per vetustatem fuimus, & ad hoc nitimur, ad quod per nouitatem vocamur. Gregorius super Ezechielem. *Semetipsum etiam abnegat, quicunq; mutatur ad meliorem, & incipit esse quod non erat, & definit esse quod erat.* Carthusianus, *Abneget semetipsum, id est, propriam voluntatem relinquat, Deo obediat, concupiscentias vincat, hoc est, secundum Apostolum, deponere veterem hominem cum actibus suis, & induere nouum, qui secundum Deum creatus est in sanctitate & iustitia.* Iansenius: *Est autem abnegare semetipsum, valedicere proprijs affectibus & desiderijs, ac apud se statere nolle deinceps illa sequi quæ amor proprius suggerit: sed ea quæ diuina sunt voluntatis, qualiacunq; sint illa, & quantunq; sint carni & nostra humana voluntati inimica.* Quæ sanè abnegatio, res est carni difficillima. Caro enim desiderat huius mundi honores & voluptates, longam & ab omni in eommodo liberam vitam in hoc mundo. Hæc ergo abnegatio exigit, vt ne in his humanis desiderijs carni acquiescere statuamus. Rursus amor sui ipsius etiam in bonis quæ quis facit, operibus, se frequenter magis spectat, ac suum bonum quarit, potius quam vt Dei voluntatem adimpleat. Et abnegatio sui ipsius requirit, vt in omnibus Deum potius, quam nos spectemus, nec tam, quid nobis bonum, quam quid illi gratum sit consideremus. Stella, *Qui Christum sequi debet, necesse est vt Christum diligat, & quod eum propter seipsum diligat, seipsum abnegans: nam aliter, nec Christum, sed bona ipsius sequitur.* Abneget itaque semetipsum. Non tantum sua, aut suos, sed semetipsum: hoc est propriam arbitrij sui voluntatem. Post, *Quapropter recte seipsum abnegasse dicitur, quicunq; arbitrij sui libertatem sibi adimit, statuens deinceps nihil pro sua voluntate gerere, sed in omnibus dicere cum Christo, Non mea voluntas, sed tua fiat, sicut in caelo & in terra. In caelo enim non fit nisi Deo voluntas. In omnibus Dei voluntatem obserua: non vero tuam propriam sensualem & appetitiuam. Et hoc est seipsum abnegare. Da Deo voluntatem tuam. Hæc est quam Deo reddere*

priorem ad Corinthios ; Iosephi exemplo docet, quid sit non esse seruum hominum Δοῦλὸς τοῦ ἰωσήφ, ἀλλὰ τοῦ θεοῦ ἀδελφὸς καὶ ἀγαπῶμεν ἀλλήλους ὡς ἀγαπᾷ ἡμεῖς ἀλλήλους ὡς ἀγαπᾷ ὁ θεός. Nemo aliquid faciens ex caeca obedientia, plene certus est in animo suo. Ergo nemo Christianus debet quicquam agere ex obedientia caeca.

IV. Idem habemus, & clarius ab Oecumenio. δὲ τῷ θεῷ ὁ ἀποστόλος καὶ ὁ θεὸς ἐπιπέτεται ὡς ἀδελφὸς, καὶ ὡς ἀγαπῶμεν ἀλλήλους ὡς ἀγαπᾷ ὁ θεός. Nemo aliquid faciens ex caeca obedientia, plene certus est in animo suo. Ergo nemo Christianus debet quicquam agere ex obedientia caeca.

V. Paulini exemplum ἀπερὸς ἰουδαίους. Vendidit se in seruitutem corporalem: de qua nulla nobis quaestio est: non in obedientiam caecam, quam solum impugnamus.

VI. Secundum argumentum ex 14. ad Rom. Ἐκείνους ἐν τῷ ἰδίῳ νοῦ ἰσχυροῦσθε. Nemo aliquid faciens ex caeca obedientia, plene certus est in animo suo. Ergo nemo Christianus debet quicquam agere ex obedientia caeca.

VII. Argumenti vis patebit ex verborum Apostoli consideratione. Vulgata editio vertit, Vnusquisque in sensu suo abundet. Non potuit peius. Non dubium est, inquit Iustinianus, vulgatam interpretationem magnam praebuisse occasionem perperam intelligendi hanc Pauli sententiam: perinde quasi in his qua enumerata sunt, liberam faciat quilibet sentiendi potestatem, & ad omnia propemodum hominum consilia transferenda videatur. Optime. Nam & Abundare in suo sensu, hominis perfracta & obstinata mentis est. Salmero item, Abundare in eo sensu est hominis pertinacia, & sua proterve timentis. Itaque hanc nos quidem versionem longe valere iubemus: etsi ex diametro oppositam caeca huic, quam oppugnamus, obedientiae. Absit enim, ut nobis falsitatis odium tam impotenter dominetur, ut non agamus candide: aut victoriae praetextu velimus ἐπὶ ὁλοῦτος γεσθῆαι.

VIII. Nos eam partem animae humanae significat, per quam de rebus propositis, & cognitis iudicamus. Id patet ex ad Roman. 12. τι δοκιμάζει, tribuitur ἡμῖν. Transformemini per renovationem τῆς νοῦς ὑμῶν, mentis vestrae, eis τὸ δοκιμάζειν ὑμῶν ad hoc ut probetis quae sit voluntas Dei bona illa, accepta ac perfecta. Oecumenius, ἡ μὲν δὲ τὸ τὸ συμφέρον, καὶ τὸ θελήμα τὸ θεοῦ. ut discas & quid sit utile, & quamnam voluntas Dei. Iustinianus, Vt hac ratione apti reddamini ad intelligendum quid tandem illud sit, quod à vobis iustificatis maxime requirat Deus.

IX. Πληροφροσύνη plenam significat certitudinem veritatis, Lucæ 1. καὶ ἡ πᾶσα ἐξουσία ἐν οὐρανῷ καὶ ἐπιτῆται ἡμῖν. earum rerum, quarum nobis plena fides est facta. Theophylactus ἡ γὰρ ἀπὸ τῆς ψιλῆς ἐπιτέθειται εἰς τὴν Χριστὸν, καὶ ἐν ἀληθείᾳ καὶ πιστῆς βιβλαίᾳ καὶ πᾶσι τοῖς πληροφροῦσι. Neque n. simpliciter p nudam traditionem ea sunt quae ad Christum attinent, sed in veritate, & fide firmata, & cum omni certitudine. Titus Bostrensis, Significat hoc verbo ea literis se commisitum, non quae incerta aliorum relatione didicerat, aut sola humana fide accepterat, sed quae explorata non at, perfecteque reipsa assequutus fuerat. Lucas Brugenis, Certo credite firmiter quae recepta sunt: πᾶσα ἐξουσία ὑμῶν, quae prorsus certificata, seu ut ita dicam, certiorata sunt: quarum plena fides facta est, quae plenissima certissimaque sunt fidei. Nam uno verbo Latinus sermo non explicat: quod annotat interpres Origenis, homilia prima in Lucam. Πληροφροσύνη ad personam relatum, est ita certiorata de re aliqua fieri ut nulla restet dubitatio: ad rem relatum significat ita certis testimoniis esse comprobata, ut de ea ambigi non possit, nec ullis amplius probationibus sit opus.

X. Ergo illud ἐν τῷ ἰδίῳ νοῦ ἰσχυροῦσθε, significabit, plenam certitudinem, sed in mente. Atqui nulla ea certitudo esse potest in obedientia caeca, quae ipsis definitibus Papistis, iudicij nullas partes admittit: neque enim diceptari permittit, an sit ius fasque sese iniicere in caminum ardentem, si praecipiat Abbas: an se quis debeat alto committere absque armamentis, si Papa iusserit. Breuiter, prudentiam negat esse obedientis, sed imperantis. Quare hoc genus obedientiae Paulus extulere vult ab Ecclesia.

XI. Tertium argumentum. Ex 1. Ioannis 4. Dilecti, ne cuius spiritui credite, sed probate spiritus an ex Deo sint. Prior ad Theol. 5. Omnia explorate, quod bonum fuerit, retinete. Nemo exhibens obedientiam caecam, explorat spiritus aut quicquam probat. At Christiani debent & spiritus explorare, & omnia probare: ergo nemo Christianorum debet obedientiam caecam cuiquam exhibere. Manifesta minor est, ex verbis citatis. Maior patet ex eius obedientiae natura. Nam exploratio nulla sine iudicio: iudicium abque discretionem, nullum. Quae igitur obedientia discretionem excludit eadem iudicium suffocat, ac proinde explorationem ἐκλεῖσιν ὑμῶν: itaque ipsam potius Catholicis.

C A P. XIV. De Maria Virgine.

Tertium Votum superest, deque eo acrior & prolixior contentio. Id votum est Continentiae, siue Castitatis, quam, ut nuper in Sacerdoti-

bus, intelligunt perpetuum Caelibatam: ut ne sit laborandum in constituendo nouo statu quaestio: nisi quod in Sacerdotibus prima causa erat statutum Ecclesiae, quae dicebatur voluisse suos Sacerdotes omnes esse caelibes: ideoque & vouere: hic vero causa nulla altior voto. Praeterea, illic soli erant mares, ut potest soli ad ordines admittendi: ast huc admittuntur etiam feminae, cum Virgines, tum Viduae.

II. Nos, nobis similes, docemus, cuiuslibet licere ἀσκεῖν τὴν παρθενίαν, exercere Virginitatem, siue caelibatum, etiam tota vita, sicut credimus olim saltem aliquos Apostolos. Sed vouere tamen inconsultum, ac temerarium.

III. Bellarmino argumentum primum ab exemplo beatæ Virginis. Nam hanc non tantum virginem fuisse: sed ex voto perpetuo voluit Papistæ: & probari ex Luc. 1. cum annuncianti Messia conceptum Angelo, respondit: Quomodo fiet istud? quoniam virum non cognosco. Significasse enim impedimentum se habere, quominus filium concipere, & parere posset. Non posse autem aliud esse, quam votum virginis iam emissum. Hoc probat Maldonatus distincte. Verbum cognoscendi, non significare actum, perspicuum est. Significat igitur consuetudinem, neque solam, sed cum impotentia coniunctam. Nam si solam, in promptu erat Angelo respondere, si non soles cognoscere, cognosce nunc: Impotentia, aut naturalis esse potuit, aut moralis. Naturalis, vel ante pubertatem, vel in grandiori aetate. Moralis, cum non licet. Et hæc gemina, vel ex lege, siue præcepto: vel ex voto. At virgini neque naturalis impotentia fuit, quandoquidem nubilus fuisse creditur. Ergo Moralis. Sed non ex præcepto: quia nullo illa præcepto, nulla lege vetabatur uti marito. Ergo ex Voto. Testes addunt, Nyssenum oratione de Natiuitate Domini: Augustinum de Sancta Virginitate, c. 4. Bedam in eum Lucæ locum: Anselmum de excellentia Virginitatis capite quarto: Rupertum libro tertio in Cantica: Bernardum sermon. 4. super Missus est: & in sermone, Signum magnum. Tum Theologos Scholasticos in distinct. 3. 4. Sententiar.

IV. Respondeo. Votam à Maria Virginitatem dici, vel ante cognitum mysterium incarnationis, vel post. Post incarnationem, ut postquam scierit sese tanto mysterio destinatum, constituerit nuptiis uti nunquam. Antea autem, ut etiam quum nesciret se fore matrem Dei, tamen constituerit colere Virginitatem, amore duntaxat virginis.

V. Prior sententia, etsi non est necessaria: quia, ut mouit Basilius ἀπερὸς ἰουδαίους, tamen sit verisimilis, iisdem de causis, quibus persuasa est perpetua eiusdem virginis. Verisimile item Iosephum consensisse. Sed hoc si dant aduersarij, quid habent quo vim faciant? Nam id votum fuerit ex peculiari priuataque causa: quæ cum in reliquis nullum locum habeat, consequentia vim oportet necessario nullam. Vouit Christus se passurum sub Pontio Pilato. An propterea cuiuslibet Christiano vouendum se crucifixum iri? Minime vero: quia Christo peculiaris fuit causa, Mediatoris officium: Hoc si communicamus alijs, poterit votum communicari: alias minime. Vouit David se templum edificaturum Deo: an cuique Iudæo simile votum licuit? Recte, si Iudæus quisque rex fuit. Vouit ille idem, se succisurum omnes impios terræ, id vero quis priuatus ausit? Multa sunt eiusmodi. Ergo, si peculiaris causa fuit Mariæ vouendæ virginis: absurde illi faciunt, qui ab eo exemplo concludunt licere promiscue idem omnibus votum.

VI. Alteram sententiam Bellarminus, & Maldonatus & similes magis eligunt: sed nos negamus. Negandæ causas habemus: vnam generalem, alteram peculiarem. Priorem ab institutione Iudaica: quæ proolis carentiam probrosam existimabat: vnde Lucæ 1. Elizabetha cum se concepisset sentiret, Dominus me intuitus est, ut auferret probrum illud meum inter homines: quomodo olim Rachel, Genes. 30. Vnde Thomas artic. 4. quest. 28. in Tercia, Tempore legis oportebat generationi insistere tam mulieres quam viros: quia secundum carnis originem cultus Dei propagabatur antequam ex illo populo Christus nasceretur. Itaque nullum dari potest exemplum similis voti apud Iudæos. Deinde non nesciebat Maria, se non posse vouere, nisi de parentum voluntate, Numeror 30. Parentes autem quis neget optasse sibi sobolem ex filia? Baronius in Apparatu §. 47. Vigebat tunc & apud Iudæos consuetudo, cum filia ipsorum adulta essent, eas nuptiis tradere: vertebaturque ignominia, si quis aliter faceret: & postquam adulta esset, expectaret ut esset superadulta. Cui considerationi maius additur momentum, si verum est, Mariam fuisse vnigenitâ, vt nonnulli tradiderunt.

VII. Altera causa à contractu matrimonij. Nam virgo desponsata erat: quis autem putet, ideo contractas nuptias, ut virginitas permaneret illibata? Inter Iudæos maxime, quibus rarus erat amor prolis: atque adeo, ut dixi, & postea probrum. Immo Mattheus, Priusquam conuenissent, inuenta est venterum ferre, Quæ verba satis indicant sponsis illis propositum fuisse ouis & Sæiv. Tum autem, si vouisset, quanto illa periculo suum votum exponeret, quum alienæ potestati subiiciebat se, penes quam ex lege ius erat votum irritum faciendi? Nam votum faciendum earum rerum, quæ sunt in nostra potestate consentiunt omnes. At, qui matrimonium contrahit, non habet in sua potestate suum corpus, id est, virginitatem: teste Apostolo 1. ad Cor. 7. Vxor proprium corpus non habet in potestate, sed vir.

VIII. Itaque non desunt apud Papistas, qui etsi votum aliquod admittant, negent tamen nuncupatum sine conditione. Apud Gratianum causa 27. q. 2. canon est tertius nomine Augustini, Beata Maria proposuit se seruaturam votum virginis in corde: sed ipsum votum virginis non expressit ore: Subiecit se diuina dispositioni, dum proposuit se perseueraturam virginem, nisi Deus aliter ei reuelaret. Commitrens ergo virginitatem suam diuinae dispositioni, consentit in carnalem copulam, non illam appetendo, sed diuinae inspirationi in vtroque obediendo. Postea vero filium genuit: & quod corde conceperat, simul cum viro labijs expressit, & uterque in virginitate permansit. In eum locum Cardinalis de Turrecremata, Votum beatæ Mariæ virginis non fuit solenne, sed simplex in corde expressum nec absolutum, sed sub conditione. Lombardus dist. 34. Sane credi potest, non solum Mariam, sed etiam Ioseph apud se disposuisse virginitatem seruare velle, nisi Deus aliter iuberet: eosque sic consensisse in coniugalem societatem, ut uterque de altero reuelante Spiritu Sancto intelligeret, quod virginitatem seruare vellent, nisi Deus aliter inspiraret: sed illam voluntatem verbis non expresserant: postea vero expresserunt, & in virginitate permanserunt. Durandus in hunc Lombardi locum, Vno modo dicendum, quod ante matrimo-

nium beata Virgo habuit propositum seruandi virginitatem, sed non uouit: sed subiecit se diuina dispositioni de contrahendo matrimonio, habens quidem virgin-

I X. Bellarminus mire nugatur. Primo, etiam si daretur Virginem contraxisse cum Iosepho, animo consummandi matrimonium, tamen non se-

X. Sed, quid non perficiant Sophistæ, si quis permittat pro arbitrio diuinare? At prudentes viri, & raro suis indulgent diuinationibus, & quum in-

XI. Sed nunquam habuisse animum consummandi matrimonium: si quis probare suspiciat, duram prouinciam fortietur. Nisi tam duplicis siue

XII. Iam quod opponunt, Virum non cognosco, frustra est. Non significat, aut actum præsentem: ergo impedimentum. At primo, cur non actum præ-

XIII. Secundo, negatur consequentia. Nam ego, neque actum præsentem, neque impedimentum significari persuasissimum habeo. Est enim

XIV. De testibus breuiter respondeo, tantum illos fidei mereri, quantum ratione nitentur, aut certe rationi non aduersabuntur. Neque enim e-

theticis testibus didicerint: sed quam aut ipsi probabiliter inquit putauerint, aut ab alijs acceperint qui primi sint opinati. Et ipsi potius uidentur

XV. Bonauentura. Decuit Virginem Deo uirginitatem uouere triplici ratione. Prima est, ut ei esset decentissimum habitaculum. Quia enim sapi-

XVI. Primæ rationis momentum ita est, Quocumque Deus concipitur, id incorruptum esse debet. At Maria debuit Deum concipere: Ergo Maria

XVII. Altero autem sensu, respondeo maiorem distinguendam, ut id, quo concipitur Deus, incorruptum esse debeat, relate ad ipsam conceptionem,

XVIII. Probat tamen hanc maiorem Sophista: quoniam perfecta incorruptio voluntatis in voto consistit voluntatis. At hæc est inepta trans-

XIX. Secunda ratiocinatio ita est: Quæcunque mulier proposita est in exemplum mulieribus, eam oportuit uouisse perpetuam uirginitatem. At

XX. His ita positus, negatur prioris syllogismi maior. Etenim non foret proposita in exemplum mulieribus, sed tantum uirginibus, non autem con-

capita, quae potuerunt ex Sermonariis, Legendariis, Historicis, Scholasticis, in vnam farraginem conferri: vt de quindecim gradibus altaris, de adyto templi, de colloquiis Angelorum perpetuis, de lanificio, & mille alia minutula, quae farietatem, an pudorem fatigauerint Baronii, Christophori de Castro, & aliorum recentiorum, non facile dixerim: vnum scio, fuisse omisssa. Interest tamen saltem verbo indicari, quo certius constet, quod sepius dixi, luxuriasse in agro vere suo humanum ingenium, & excessisse omnes simplicitatis ac modestiae metas: dum putauit non satis esse laudatam Virginitatem in Scripturis: & nihil in hisce supra sortem humanam laudari, in quo non tantum fit miraculorum, quantum muscarum, cum caletur maxime.

CAP. XV.

De Eunuchis propter regnum caelorum.

I. Idem continentiae votum deducunt ex Matthaei 19. vbi Dominus dicit esse quosdam Eunuchos, qui se castrauerunt propter regnum caelorum: addita exhortatione, Qui potest capere, capiat. Nam ipsa Eunuchorum appellatio (inquit Bellarminus) perspicue indicat votum: Eunuchus enim est, non qui solum continet, sed qui non potest non continere. Id autem fit, vel ex vitio naturae, vel a lege. Non autem a vitio naturae, quia ab his illos Christus seiuuixit: Ergo lege. At lex, vel communis est, vel particularis & sponte suscepta, id est, votum. Christus autem non agit de lege communi, nulla enim lex est, prohibens nuptias absolute: Ergo de lege particulari & voto. Deinde Christus dixit, Qui se castrauerunt: at si loqueretur de caelibibus sine voto, diceret, qui se castrant quotidie, non qui se castrauerunt: nempe, quia vnica actione voluntaria amputarunt sibi omnem facultatem contrahendi nuptias.

II. Sed Eunuchi, alii proprie dicuntur, alii metaphorice. Qui proprie, hos verum, non tantum continere, sed ne posse quidem non continere, si continentiam non definias, nisi ex membris corporis. Nam si ex eo, vnde continentia debet virtus censeretur, tum vero nihil obstat, quominus ii sint ipsi incontinentissimi, vel teste Terentio, Amatores esse mulierum eos maximos. At qui Metaphorice, eorum longe alia ratio. Metaphora enim, non aequalitatem infert, sed similitudinem. Ita caeci sunt proprie, qui nec vident, nec possunt videre: at caeci metaphorice, tantum, qui non vident. Sicuturdi. Non autem proprie a Christo dici Eunuchos perspicuum: quia qui proprie Eunuchus est, ne volens quidem non continere potest: quia partium, quibus violatur continentia, vsum non habet. Itaque, qui Eunuchi facti sunt propter Deum, hos oporteret sibi ipsis eas partes aliqua arte immobiles, vt ita dicam, efficere. Clarius dico. Inter Eunuchum a natura, Eunuchum ab hominibus, Eunuchum a se, sola impotentiae causa si discrimen faceret: Effectus idem esset: vt inter mortuum a morbo, & mortuum a gladio, & mortuum a veneno. Quomodo olim in hac re erratum ab iis, qui vel gladio, vel medicamentis se Eunuchos faciebant. Atqui iam pridem exterminata haec sententia inter Catholicos. Itaque Eunuchi proprie non sunt intelligendi, qui seipsos castrauerunt propter regnum caelorum.

III. Apparet iterum, quia huiusmodi εὐνηχισμὸς definitur exractione coercente motus oppositos continentiae. Chrylostomus homilia 63. in Matthaeum, ἡ δὲ ἀποδοχὴ τῆς εὐνυχίας, ἀπὸ τοῦ λόγου τοῦ καλῶς τὸ ποιῆσαι ὁδὴ καὶ τῆς ἐξουσίας καὶ τῆς ἐλευθερίας. μὴ δὲ ἰσχυροὺς τοῦ λόγου μόνον. Non enim tam amputatio membri quam ratiōnis frantum, eiusmodi fluitus componere potest, & tranquillitatem facere: imo vero solaratio. Et post, ἡ δὲ ἐλευθερία τῆς εὐνυχίας ἀπὸ τῆς ἀποδοχῆς τοῦ λόγου μόνον τῶν ἀδελφῶν. Non amputationem membrorum innuit: absit, sed nequam cogitationum deturbationem. Res est iam manifesta. Nullus enim cogitari potest Eunuchismus mentis, cum impotentia non continendi: alioquin ne tentationibus quidem obnoxius esset is status, siue, vt loquuntur, primis motibus. Qui status dari nullus potest in hac vita: testem appello eorum ipsorum conscientiam, qui vel maxime Monachismo gloriantur.

IV. Tertio, idem patet ex iis verbis, Qui potest capere, capiat. Sensus est enim, aliquos posse, aliquos minime: vt alius plurimis locis, eadem phrase ἡ ἀποδοχὴ τῆς εὐνυχίας vsurpatur. Cap. 20. Sed quibus paratum est. Et 25. τῶς ἐρχομένους, Omnes qui habent. Quamquam quid opus exemplis? Cum diserte Christus, Non omnes capiunt hunc sermonem? Ergo mens Christi est, alios posse capere, alios non posse. Ergo, inquam, non voti caeres est. Nam, cuiuslibet est vouere: sicut in hunc locum Maldonatus, posse aliquos, imo, quicumque conentur tam caste viuere, quam si Eunuchi essent. Si ergo hic voti vus Eunuchismus omnium sit: at Eunuchismus a Christo designatus, non sit omnium: ergo non loquutus est Christus de Eunuchismo votiuo.

V. Agere tamen Christum de continentia ex lege particulari, concedo. Sed omnem legem particularem esse votum, nego. Est enim etiam quaedam, ex studio, & affectu vehementi in virtutem: vnde fit, vt sibi quisque legem praescribat optimarum actionum: vt inter Christianos infinitae sunt eleemosynae absque voto: sed ex habitu charitatis. Sic Paulus manibus suis sibi victum parabat: sed & manebat caelebs: nullo id quidem voto, sed, quia non omnia, quae licerent, expedirent. Itaque nec semper laborabat manibus suis: & pronuntiabat licere sibi sororem uxorem circumducere. Quare non est necesse, Christum, si legem communem non dixit, dicere votum.

VI. Sed, inquit, si loqueretur de caelibibus sine voto, diceret: Qui castrant se quotidie, non, qui castrauerunt. Hoc vero a qua lege? Non enim facile Iesuitarum noua placita nobis pro lege, Atqui Matthaei 21. Et meretrices crediderunt ei. Ioan. 2. Et crediderunt in eum discipuli eius. Actorum 9. Et multi crediderunt in Dominum. Vbi tamen nullum votum. Cur non ergo castrauerunt se, et si sine voto?

VII. Significat, inquit, vnica actione voluntaria amputasse sibi omnem facultatem contrahendi nuptias. Actionem voluntariam concedo: neque enim bonum esse potest non voluntarium. Vnicam non concedo: nō concedo amputasse facultatem contrahendi nuptias. Nam neque habitus virtutis est ab vna actione: neque tam infirma est pronitas naturae in affectus suos, vt vno conatu sedari possint τὰ κακά, vt loquebatur Chrylostomus. Tum

autem continentia opponitur, non facultati contrahendarum nuptiarum sed voluntati: nimirum, vt, etsi liceat, non libeat tamen. Sic Paulus, etsi liceret uxorem sororem circumducere, tamen sibi legem indixerat, non circumducendi, etsi absque voto. Itaque is Eunuchus dici potest, qui actu continet, etsi votum nullum nuncupauerit. Quomodo ἡ ἀποδοχὴ τῆς εὐνυχίας, qui abstinere vino: etiamsi voti sibi facultatem non praeciderit bibendi vinum.

VIII. Confirmatur, inquit, haec explicatio ex Patribus. Epiphano in Valesianis: Hieronymo in Commentario huius loci: Augustino de sancta virginitate, c. 30. Fulgentio, de Fide ad Petrum, c. 3.

IX. Sed Epiphanius & Hieronymus, de Voto nihil. Epiphanius, τίς οὖν ἔστιν, ἀλλ' οἱ Ἰουδαῖοι καὶ οἱ Ἰουδαῖοι, καὶ οἱ κληρικοί παρθενοί, Quinam sunt huiusmodi, nisi Apostoli, & Monachi, & consequenter virgines? Hae vero indicant varia Eunuchorum genera: quorum alii Apostoli, alii Monachi. Causam vero nullam expriment: & quidem Apostolos sine voto fuisse virgines habemus pro certo, quanquam non omnes: vt tuncque Monachi forte aliter. Itaque Christus non virginitatem votiuam commendavit, sed virginitatem: & huic commendationi postea ἡ ἀποδοχὴ τῆς εὐνυχίας, votum de suo addidit. At nos quid sit additum, non quaerimus, sed quid Christus docuerit.

X. Hieronymus, Infert, Qui potest capere, capiat: vt unusquisque consideret vires suas, vtrum possit virginitatem, & pudicitiam implere praecipit. Quid hoc ad vota? Imo, Quae sunt, inquit Bellarminus, praecipit virginitatis, nisi obligatio non nubendi, quae sine voto nulla est? Itane? An, quia similiter praecipit matrimonialia nulla sunt, nisi obligatio contrahendi nuptias? Minime vero. Sed praecipit sunt, quae implere debeas postquam matrimonium contraxeris. Similiter praecipit Virginitatis intellige, non, quae inducant ad virginitatem, sed quae exercenda sint, cum Virginitatem susceperis. Suscipi autem haec potest, tum ex voto, tum sine voto. Itaque potuit idem primo contra Iovinianum dicere, eos castrare seipsos, qui templum se Deo purissimum, & holocaustum acceptissimum offerunt. Nam offerunt etiam, qui sine voto.

XI. Augustinum & Fulgentium audio: illum, Vos etiam, qui hoc non vidistis, qui potestis capere, capite. Hunc, Quisquis seipsum castrauerit propter regnum caelorum, & in seipso continentiam Deo vouerit. Sed neutrum audio asserentem definitur Eunuchismus voto. Clarius dico: Non castrare seipsum, votum continentiae: sed votum continentiae est castrare seipsum. An nondum intelligunt? Non quisquis castrat seipsum, vouet continentiam: sed quisquis vouet continentiam, castrat seipsum. Itaque non est necesse Christum esse loquutum de votiua continentia. Quomodo, etsi qui sibi membra amputat, vouet continentiam, teste Origene, tamen non est necesse Christum de illis loqui. Augustinus ergo, & Fulgentius, qui existimant voueri posse perpetuam continentiam, ei voto applicarunt Christi verba: non tamen haec verba, non nisi voto imperi dixerunt.

CAP. XVI.

De Viduis primam fidem irritam facientibus.

I. Hactenus de verbis Domini. Eundem in finem citant ex Pauli. ad Timotheum. c. 2. Adolescentiores viduas deuita: cum enim luxuriatae fuerint in Christo, nubere volunt, habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt. Fidem interpretantur, conseruandae continentiae. Hanc autem esse datam, vel marito carnali, vel Christo sponso spirituali. Non illi marito: quod haec tandiu duret, quamdiu ille viuat: & ille hoc loco mortuus supponitur. Ergo fides intelligenda, data Christo. Haec vel simplex est propositum, vel votum. Non illud, quia simplex propositum, tum non habet relationem ad aliud, nec fides dici potest: tum autem potest mutari absque culpa: at Apostolus dicit damnationem habere eas viduas, quia fidem irritam faciant. Ergo fides votum significat.

II. Respondeo, primo fidem non necessario intelligi conseruandae continentiae: sed posse fidem Christianam. Argumenta duo sunt. Vnum, quod ea fides prima: τὴν πρῶτην πίστιν ἢ πένητιν, primam fidem reiecerunt. At non potest vlla prima dici, nisi quam sequuta fuerit alia. Porro fidem continentiae, si quidem hanc fidem appellare libeat, alia vlla ponitur sequuta: sed haec manifeste sequuta est fidem Christianam. Item notandum appellari τὴν πρῶτην πίστιν, ἡ ὀνομαστικῶς, quod qui potuit fieri de ea promissione, quae nunquam inueniatur fides appellata, vel confidente Bellarmino?

III. Alterum argumentum, quia eas viduas dixit, καὶ ἐσπνυχθῆσαν ἔχειν: quod Vulgatus interpretes male reddidit luxuriari in Christo: rectius Beza, lasciuire aduersus Christum. Quod quidem durius est, quam vt de iis dicatur, quae saram rectam rennerent fidem illam, quam diximus Christianam. Et eo referenda expositio Oecumenii, ὅταν καὶ διπλοῦς φωνῆσιν τῆς εὐνυχίας, μὴ κατὰ τὸν νόμον αὐτῶν νεμῶσιν, Postquam superbe spreuerunt Christum, non admittentes eum pro sponso: cum tamen paulo ante notasset ea desponsata Christo, non quomodo hodie apud Papistas peculiari illa desponsatione, quam solis Nonnis eximiam volunt: sed illa generali, quae pertinet ad vniversam Ecclesiam, ὅσα ἢ ὄν καὶ αὐτοὺς ἔχειν τὴν ἔλεον ἀρμόζοντα ἀρμόζοντα ἢ ἐν τῇ παρθένων καὶ δίστανται. ἡμεροσέμω γὰρ ὑμῶν, φησι, ἐν αὐτοῖς παρθενοῖς ἀγγέλω, καὶ ἀρμόζοντα τὴν ἔλεον. τῶν δὲ ἢ ἀπὸς πάντων ἐν κληρονομίᾳ ἀρμόζοντι. Vide eas, quae reuera sunt viduae, Christo aptari: aptatus autem in ordine virginum status. Aptari vos, inquit, vni viro virginem castam, vt sitam Christo. Hac autem vniversa Ecclesia congruunt. Si ergo aptata Christo sponso, quemadmodum vniversa Ecclesia, Christum sponsum spreuerunt. Ergo ab ea desponsatione desciuerunt, quae communis est toti Ecclesiae: at haec non est fides illa continentiae Monastica, sed fides Christiana. Ergo κατὰ τὴν πρῶτην πίστιν, significat excedere fidem Christianam.

IV. Bellarminus contra: Primo, fidem, etsi nullquam significet votum, tamen multis locis significare promissionem, siue constantiam in promissione seruanda. Genes. 44. Ego hunc in fidem meam recepi. Ad Rom. 3. Nunquid incredulitas eorum fidem Dei euacuabit? Vtraque autem, & promissionem, & constantiam ad votum pertinere.

V. Respondeo, nemini id, aut incognitum, aut incertum esse: sed nihil ad rem: sufficit enim, vt non male dicatur fides continentia, neque nos reprehenderemus, si esset a Paulo scriptum. Sed, cum legamus, non fidem continentia, sed *αὐτονομιαν*; *τὴν πίσιν*, pro fide continentia, durius est, quam vt molliatur sola autoritate Jesuitica. Et tamen, vt id, quicquid est, dissimulemus in gratiam Papistarum, cur non tantum fides, sed prima fides? Hoc vero nemo eorum haecenus expediuit: quasi de nihilo esset.

VI. Secundo, Bellarminus obiicit, illud *irritam fecerunt*, vt probet, non tantum posse, sed etiam debere hoc loco intelligi pactum, aut votum. Nam fides, qua Deo credimus, non recte dicitur irritari: sed amitti vel corrumpi: pacta autem & vota propriissime irritari dicuntur. Deut. 30. *Si quis Domino votum vouerit, non faciet irritum verbum suum.* Psal. 88. *Qua procedunt de labiis meis, non faciam irrita.*

VII. Sed Sophista multipliciter peccat. Primo, irritum facere, latius patet, quam vt de solis promissionibus dicatur. Ad Hebræos o. *Irritam quis faciens legem Moysi.* Matthæi 15. *Irritum fecistis mandatum Dei.* Iob 40. *Nunquid irritum facies iudicium meum?* 4. Eldæ 2. *Irrita fecerunt consilia mea.* Et 15. *Ad irritum faciendum domos eorum.* Numeror. 6. *Ita tamen, vt dies priores irriti fiant.* Leuitic. 7. *Irrita fiet eius oblatio.* In tam amplo vsu, cur non inueniat locum, fides Christiana? Apparet enim significationem esse, cum quid non assequitur finem, atque adeo inutile redditur: vel, quod prius erat destruitur. Virumque ei fidei competet.

VIII. Secundo, Paulus vsus est verbo *ἀδύνατον*, quo significatur oppositum *τῷ νόμῳ*, nempe auferre id quod positum erat. Hæc etymologia, cur non ad fidem pertineat Christianam? Nam hæc non negatur à Papistis tolli, quæ prius erat: quandoquidem amitti posse concedunt, non tantum, qua significat externam professionem: sed etiam, qua donum Spiritus Sancti, siue infusam persuasionem.

IX. Tertio, Fides Christiana, vel internam illam & infusam persuasionem significat, vel externam professionem. Illam amitti non posse, alias est disputatum. Hanc vero posse, non negamus: & experientia testatur. Itaque hanc non illam oportet in Pauli verbis intelligi. Ast hæc, ita fides est, qua Deo credimus, vt sit etiam fides, qua Deo & promittimus, & vouemus: & patet ex Baptismo, vbi primum fidem profitemur. Nam præterquam, vt diximus, in eo vouemus, habes etiam oppositionem inter, Credo, & Abrenuntio. Nam sicut abrenuntiare, significat solenne votum discedendi à diabolo: ita oportet, credere, solenne votum hærendi Christo. Si ergo vere dixit Bellarminus, proprie dici promissiones irritas fieri: nihil est quod vereamur proprie dici fidem Christianam irritam fieri apud Paulum.

X. Tertio, obiicit: Nulla causa erat, cur viduæ illæ; si non vouerant continentiam, non possent nubere, nisi deficerent ad Iudæos, aut Paganos. Quis enim illas prohibebat nubere inter Christianos?

XI. Imo hoc nunc non agitur: nam statim concedemus has viduas vouisse continentiam. Sed negamus propterea primam fidem intelligendam videri hoc votum: aut propterea dici habere damnationem, quod nubere voluerint. Duo Paulus in eis reprehendit, & quod luxuriatæ sint in Christum, & quod nubere voluerint, distincta quidem peccata: sed tamen per accidens coniuncta. Poterant ergo illæ nubere, non deficiente ad Iudæos aut Paganos: sed non poterant primam fidem abiciere, non deficiente ad Iudæos, aut Paganos. Sic post capite sexto: qui auaritiâ appetebant, quidā aberrasse dicuntur à fide: non quod non possent inter Christianos manere, & non aberrare à fide: sed quod ita illis acciderit, vt vtrumque peccatum coniunxerint: & vnus quidem occasione in aliud se præcipitauerint. Quomodo etiam hodie ex iis, quæ à Papismo recesserant non pauca, occasione nuptiarum, redeunt ad vomitum: non quod non possint inter nos nubere, sed, quia occasione nuptiarum fidem suam irritam faciunt.

XII. Quarto, obiicit: aperte Apostolum dicere, eas habere damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt nubere volendo. Nulla autem mulier in Baptismo promittit se non esse nupturam. Non ergo significari fidem datam in Baptismo.

XIII. Sed primo, Paulus non ita primam fidem facere irritam nubere volendo: sed cum luxuriatæ sint, velle nubere: Tum eo damnationem habere, quod primam fidem irritam fecerint. Longe hicalius *συνήρρησις*. Deinde, fidem facere irritam nubendo, dupliciter exponi potest: vel materialiter, vt ipsum nubere sit, primam fidem irritam facere: & hic sensus negatur ex Paulo esse. Vel, per occasionem, vt per nuptias inductæ sint ad fidem irritam faciendam. Et sic manifesta est argumenti futilitas. Quia, etsi in Baptismo nemo voueat non nubere: tamen nihil obstat, quominus fides data in Baptismo irrita fiat occasione nuptiarum.

XIV. Quinto, obiicit: Illud, *cum luxuriatæ fuerint*, vel de scortatione intelligitur, vel non. Si hoc, ergo constat solum reprehendi, quod nubere velint contra votum. Sin illud: ergo non solum non reprehendi, sed etiam laudari deberent: quod à scortatione ad honestum coniugium transire vellent.

XV. Respondeo, de scortatione, nihil esse, quod suadeat intelligendum. Neque est nostrorum quisquam, quod sciam, qui ita sit interpretatus: non veterum: nisi quod Interpres Chrysofomi Erasmus, homilia in hunc locum, *τὸ καὶ ἁρνησάσαι*, scortari vertit. Hieronymus etiam ad Geroniam, sic expressit. Sed, neque id vis verbi significat: neque vero Apostolus, vnquam ita loquutus esset: postquam scortatæ sunt, nubere volunt: quasi magis reprehenderet nuptias, quam ipsam scortationem. Sed, si non scortationem significet, ergo solum reprehendi, quod nubere velint, nimis audacter sumit Bellarminus. Nam ipsum *ἁρνησάσαι* & *Χριστὸν* peccatum est: *ὅταν*, inquit Occumenius, *καταβλακυσθῶσιν, ὅταν καταδρυσθῶσιν, ὅταν ἀκκιθῶσιν, ὅταν καθυπερφανεύσονται* & *Χριστὸν*. Hoc, inquam, etsi, neque scortarentur, neque vero etiam nubere: imo neque primam fidem fallerent, peccatum foret: Quare falsum sumit Bellarminus, propter solas nuptias damnari.

XVI. Opponit sexto: quasi concedens de fide in baptismo data Apostolum loqui. In Baptismo promissimus legem Dei nos seruaturus: lex autem passim inculcat, vota esse reddenda. Itaque hoc etiam verum est,

eas viduas, quæ post votum nubere volunt, votum violando, fidem datam irritam facere.

XVII. At Bellarminus oblitus est, quid nunc agat: nempe vt probet vouendam esse continentiam. Nos sane si vouenda sit, consentimus esse seruandam, nec violandum votum. Sed negamus esse vouendam. Ille probabat, quia per primam fidem nihil sit aliud intelligendum, nisi continentia votum. Atqui, si fides sit ea, quam promittimus in Baptismo, & in Baptismo non promittimus continentiam: Ergo neque fides, est promissio continentia, siue votum. Quare negato argumento, quo ille utebatur, quis non videt necessario negari conclusionem?

XVIII. Secundo, respondeo, posse concedi, fidem non intelligi illam Christianæ professionis: sed aliam peculiarem eas viduis, de quibus sermo est. Nempe fidem Ecclesiæ datam deligenti eas in ordinem viduarum. Erant autem viduæ delectæ, quæ inseruirent necessitatibus pauperum, & Diaconissæ dicebantur. Viduæ idcirco, non coniugatæ, quia suis viris vxores subditæ, & familiaribus curis distractæ non possent ei ministerio vacare. Quare, quæ in id album adscriberentur, eas oportebat promittere, non tantum suum laborem in curandis pauperibus, sed etiam suam constantiam in viduitate conseruanda. Nimirum, quia conuolantes ad nuptias, necesse erat ei ministerio renuntiare, cui se deuouerant. Itaque poterit dici fides conseruandæ continentia: sed cum distinctione. Vel enim, sicut hodie apud Papistas, vt continentia promittitur, quasi *αὐτὸ τὸ εὖρον*, ipsissimum per se obiectum voti: vel tanquam *παρέργον*, accedens ad aliud: quod cum sit, tum hoc proprie vouetur, illa vero per accidens.

XIX. Et hoc modo possit, non tantum fides, sed etiam prima fides intelligi, pro præcipua: quasi consulto distinxisset Apostolus. Nubere, inquit, volunt, *ἡχοσαν κέλημα, ὅτι τὴν πρώτῃν πίσιν ἠδίκησαν*: id est, vt vertit Beza, *Ex eo damnanda, quod primam fidem reiecerint*: non quod nupsissent: sed quod fidem datam se ministraturas Ecclesiæ, irritam fecerint. Atque ita gemina fides comparatur: vna ministerii, altera viduitatis: illa primaria, ac per se, quia præcipue intenta: hæc vero secundaria, & propter illam.

XX. Ea forte mens sit Chrysofomi, *Πίσιν τὴν συνθήκην λέγει τὴν ἀληθίαν, φησὶν, ἐλθούσαν, αὐτὴν ἠδίκησαν, παρεβήσαν τὰς συνθήκας*, *Fidem, pactum dicit: Veritatem, inquit, sefellerunt: eam irritam fecerunt, transgressæ sunt pacta.* Et Hieronymi in Ezechiel. 44. *Vnde, & de viduis dicitur. Cum luxuriatæ fuerint in Christo, nubere volunt, habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt. Melius est enim non promittere, quam promittere, & non facere.* Tertulliani de Monogamia c. 13. *Habentes iudicium, quod primam fidem resciderunt, à qua in viduitate inueniunt, & professa eam, non perseuerant.* Epiphanius hæresi 48. Et aliorum plerumque. Etsi fatear, nonnullos, & posteriores maxime, produxisse latius: nec in viduitate substituisse, sed & virginitatem esse complexos: A se profecto, non ab Apostolo.

XXI. Obiicit Bellarminus: Primo, non esse promissionem factam Ecclesiæ, sed Deo, ita asserentibus Patribus: tum, si esset, tamen potuisse rescindi, si verum posse rescindi vota Deo facta, quum quis continere non potest. Itaque non fuisse damnandas eam ob causam. Secundo, damnari, quia nubant, non tantum, quia fidem Ecclesiæ datam scortando fallant: quia dictum, *damnationem habentes*, in præsentem: vt debeat culpa præsens, damnationi præsentem respondere: at scortatio præterierat, emendata per nouam voluntatem honesti coniugii, ex sententia Caluini.

XXII. Respondeo, esse promissionem factam, & Deo, & Ecclesiæ: quia, etsi fiat Ecclesiæ, tamen in nomine Dei. Sed non sequi non debuisset à Paulo eius violatæ causa damnari viduas. Nam neque Ecclesiæ, multo minus Deo factas promissiones violari impune putauit Caluinus: sed tantum temere factas posse rescindi. In quibus hæc nulla est. Damnari, quia fidem fallant scortando, nunquam somniauit Caluinus. Bellarminus, si quem habeat, cui id placuerit, agat cum eo vt volet. Nam nos has partes nostras non facimus: qui aliter sentimus.

XXIII. His disputatis, manifesta est solutio argumenti propositi. Nam quod dixit, fidem datam, aut marito, aut Christo: nos quidem censemus hic non marito, sed Christo. Rursum datam Christo, esse, aut simplicis propositi, aut voti: nos consentimus esse, non simplicis propositi: sed solennis promissionis, quam si voti nomine placet appellare, ne id quidem pugnabimus. Quid ergo? Nempe Sophistam reuocamus ad statum controuersia, quæ proposuit vota tria, in quibus substantia sit Monachismi. Adeo vt voueatur paupertas, obedientia, continentia, non ob Monachismum, tanquam aliud aliquid: sed tanquam hoc ipsum, quia Monachismus nihil est aliud, quam votum paupertatis, obedientia, continentia. Vouetur ergo Monachis continentia, tanquam *αὐτὸ τὸ εὖρον*. Nihil igitur id pertinet ad votum, de quo Paulus loquitur: quia hoc, etsi voueat continentiam, tamen per accidens, & propter aliud, id est, propter Ecclesiæ ministerium.

XXIV. Res fiet illustrior exemplis. Navigatio esto necessaria eunti Corintho Hierosolyma. Voueat Paulus ire Hierosolyma: hunc oportet vouere nauigationem. Nempe igitur vouebit se nauigaturum. Inde facile conficiat quis, licere cuilibet vouere nauigationem. Sed si absolute voueat, nauigare, id est, non nisi vt nauiget: hunc, quis non dignum Anticyra iudicet? Eadem sunt Papistarum nugæ. Viduas, vt seruirent Ecclesiæ, oportuit continentiam colere: quæ non colebant, sic delectæ viduæ peccabant. Ergo, aiunt Papistæ, Viduitatem licet vouere: & latius, ergo continentiam licet vouere. Tum, Ergo virginitatem licet vouere. Non aduertentes nunquam dicere Paulum, nunquam Scripturam, peccare, qui virginitatem; peccare, qui continentiam; peccare, qui viduitatem non colat, præter viduas: nunquam enim viros: nunquam virgines.

Imo, ne viduas quidem vnquam: sed tantum viduas delectas.

CAP. XVII.

Rationes Bellarmini de Voto Continentia. Et Veterum testimonia.

I. Illis Scripturæ locis, rationes Bellarminus has subiicit. Primam: Quia quid gratius est Deo si fiat, quam si non fiat, recte vouetur. At eiusmodi est continentia. Ergo hæc recte vouetur. Probat assumptum: quia illa longe excellat coniugio, & cum fornicatione ne comparari quidem debeat. Hoc probat ex I ad Corinth. 7. *Qui matrimonio iungit virginem suam, bene facit, & qui non iungit, melius facit.* Item. *Cui vult nubat, tantum in Domino. Beatior autem erit, si sic permanserit.* Tum ex Patribus. Cypriano de habitu Virginum: Dionysio Ecclesiastica Hierarchia c. 6. part. 2. Eusebio libr. 1. Demonstrationis cap. 8. Basilio cap. 18. monasticarum constitutionum: Nazianzeno oratione de obitu Basilii. Chrylostomo 3. aduersus vituperatores vitæ Monasticæ: Hieronymo ad Heliodorum: Augustino, 1. de moribus Ecclesiæ cap. 31. & de Sancta Virginitate 51. & aliis.

II. Respondeo, primo negari maiorem. Nam ex Paulo 1. ad Timotheum 2. scimus gratius Deo esse, si conuertantur omnes, quam si non conuertantur. Et tamen si quis voueat se conuersurum omnes, insanus sit. Ratio est in promptu. Quia, quæ Deo placent fieri, ea non sunt vnus generis. Quædam placent absolute, vt laudare Deum, credere in Christum, amare proximum. Quædam *variæ*: nimirum pro variis circumstantiis temporum, locorum, personarum. Quæ illius generis sunt, ea nihil pugnamus, quominus vouerileat: & quidem tam absolute, quam placent absolute. Sed quæ placent, non nisi *variæ*, ea vouenda absolute negamus. Sic, etsi placebat Deo ædificari templum, tamen Dauidis votum irritum factum est ab ipso Deo: quia, etsi ædificari volebat, tamen non à viro sanguinum, quæ circumstantia fuit persona. Sic, etsi vellet omnes conuerti, tamen prohibitum fuit Apostolis in prima missione, ne proficerentur ad gentes: quia nondum volebat gentes conuerti, quæ circumstantia fuit temporis: itaque Apostoli tum non debebant vouere se prædicaturos gentibus, sed aliquando post. Multa obseruari possunt huiusmodi: quæ probant valde esse contrahendam maiorem, quam vt vniuersalem Bellarminus inconsiderate proposuit, & probare neglexit.

III. Ad minorem venio. Continentia, inquit, est eiusmodi. Cuiusmodi, inquam? Ex eone numero, quæ absolute placent Deo? Nos vero negamus: quia multipliciter distinguendum. Aliquando tempora. Sic ab initio mundi non placuit continentia: quia oportebat genus humanum multiplicari. In lege etiam perpetua virginitas non laudabatur: quia multiplicandus erat populus: vnde *procreantia* erat inter benedictiones Dei: & affectabatur à feminis: adeo vt filia Iephte lugeret super virginitatem suam. Quibusdam etiam personis seruendum erat voluntati diuinæ peculiariter disponenti eorum vitam. Sic Abrahamum oportuit liberis operam dare: quia non tantum volebat eius semen Deus multiplicari, sed etiam ab eo oriri Messiam. In Nouo Testamento, etsi desierit necessitas communis multiplicandi genus humanum, illa, etiam particularis venturi Messia: tamen non sunt alia nulla. Nam primo, quis nouit quorsum vti velit opera nostra Deus? Deinde, manifestum illud, *Qui potest capere, capiat.* Etiam illud, *Volo iuniores nubere, liberos gignere*: de quibus paulo post. Cum igitur continentia non sit ex his quæ Deo absolute magis placent fieri, quam non fieri: sed tantum *variæ*: Ergo ne voueri quidem debet, nisi *variæ*, id est, obseruatis circumstantiis.

IV. Enimvero quæ argumenta colliguntur in probationem minoris, nihil efficiunt. Paulus, quum dixit, eum, qui dar nuprum, bene facere: & qui non dar, melius facere: non id voluit, absolute magis placere Deo id fieri, quam non fieri. Ratio perspicua: quia bonum ille vlturp pro commo. Patet ex præcedentibus. *Existimo hoc bonum esse propter instantem necessitatem*: non propter oppositionem peccati, sed propter instantem necessitatem: quia afflictionem in carne habituri sunt, qui sunt huiusmodi, nempe coniugati. Vnde & illud exponendum, *Beatior erit, si sic permanserit*: nimirum, quia species est cuiusdam felicitatis, carere tribulationibus huius vitæ. Atqui non statim sequitur ea vouenda esse, in quibus nobis sit melius. vel commodius in hac vita.

V. Patres, inquit, perfectam vitam appellant. Respondeo, nolle me inquirere in huiusmodi Patrum encomia: quæ profecto, si curiosius examinentur, comperientur esse magis ab humana affectatione, quam à Sanctis Scripturis. Sed breuius, nego vel hoc ipsum ad rem esse. Nego enim statum perfectionis huiusmodi aut absolute Deo gratius esse: aut etiam vouendum. Res patet. Nam ipse Bellarminus concessit statum Episcoporum esse perfectionis. Et tamen ne ipse quidem dixerit, aut Deo gratius omnes esse Episcopos: aut rem esse voti Episcopatum: sed propria peculiarique vocationis qua fit Episcopus, non qui cupit, sed quem Deus esse voluerit: cui etsi gratum sit esse Episcopos: tamen non gratum omnes esse: sed quosiam tantum. Similiter, cum doceat nos Iacobus c. 3. perfectum esse qui non offendat in sermone: tamen nemo vouet se non offendurum in sermone: cum tamen non *variæ*, sed *invariæ* placeat Deo.

VI. Ad eundem modum continentem esse. Dei donum est: & quidem non promissum: neque enim omnes ille vult continentes: sed quosdam. Teste Christo, *Non omnes capiunt sermonem istum: sed qui vult datum est.* Teste Paulo. *Velim omnes homines esse, vt ipse sum: sed vnusquisque proprium donum habet ex Deo: alius quidem ita, alius autem ita.*

VII. Altera ratio Bellarmini est. Melius est & Deo gratius ex voto aliquid facere, quam sine voto. Igitur non solum licet, sed etiam expedit continentiam vouere.

VIII. Respondeo, antecedens non esse vniuersale. Sunt enim actiones alie voti, alie liberæ. Vt apud Iudæos tonderi caput poterat, qualibet ex causa: poterat ex voto. Cum fieret ex voto, adeo melius erat, quam cum fieret sine voto, vt cum fieret sine voto, non pertineret ad cultum Dei. Quæ non sunt voti, aliter censenda sunt, duplici ordine. Alia enim voueri

non possunt: vt paulo ante dictum. Hæc autem adeo non sunt meliora cum fiunt ex voto: vt vouere potius sit temerarium. Alia voueri quidem possunt, sed possunt etiam fieri sine voto, vt quæcunq; virtutes sunt Christianæ. De his vero, nunquam Scriptura pronuntiat melius fieri ex voto, quam sine voto: neque debet temeritas humana rem tantam definire. Quid plura? Vouit Deo Dauid se ædificaturum templum: non vouit Salomon. Et tamen Dauidem noluit Deus ædificare: Salomonem voluit.

IX. Antecedens tamen probare nititur Bellarminus quinque argumentis. Prima probatio. Scriptura hortatur ad vouendum. Psalmo 76. *Vouete & reddite*, & inde Augustinus multis locis. At si melius esset absque voto operari, deciperet nos Spiritus Sanctus; quod nullo modo fieri potest. Igitur melius est operari ex voto.

X. Respondeo, primo negatur consequentia. Neque enim, si non est melius agere sine voto: ideo melius est agere ex voto. Potest enim esse æque bonum. Rursus, non sequitur, iubet Deus vouere: ergo hoc melius. Nam iubentur etiam quæ bona sunt: non tantum quæ meliora. Enimvero, cum præcepta infinitis locis occurrant, sine voto, vt obedire pastoribus: ideo tunc concludendum melius sine voto obediri, quam voto? Et tamen constat præcipi. Certum est ergo, non concludi ex eo, melius esse. Denique, cum Scriptura præcipit, *Vouete & reddite*, nego præcepisse, vt omnia voueantur: sed tantum quæ sub votum cadunt. Ideoq; non probari hoc argumento, quæcunq; fiunt ex voto, meliora esse eisdem, si fiant sine voto.

XI. Secunda probatio. Opus eo melius est, ac Deo gratius, quo ex pluribus, aut ex maiori virtute procedit. Continere sine voto est temperantia: continere ex voto, est temperantia simul & religionis: & religio est longe nobilior temperantia. Igitur continere ex voto melius est, ac Deo gratius, quam sine voto. Constat ex Augustino, de Sancta Virginitate.

XII. Respondeo, falsum poni, continentiam sine voto nullam esse actum religionis: sed eam solâ quæ fit absq; fide. Nam Christianus, quamdiu viuunt expers coniugii, castitatem colit sine voto, & tamen ex religione, quia vere ex timore Dei. Et quum viuunt in matrimonio, rursus caste viuunt, etiam si nullo conceptu peculiari voto, tamen ex religione. Itaque, in utroque hæc continentia non est tantum actus temperantia, quomodo in Ethnicis: sed est vere actus religionis. Quomodo Iacobus 1. *Religio pura, & incontaminata apud Deum & Patrem, hæc est, inuisere orphanos & viduas in afflictione ipsorum.* Et vero, quis neget illos esse religiosos actus, nisi votiuos? Ipsum credere, vnde est? ex Voto ne, an ex dono? Et non erit ipsum credere actus religiosus, sine quo ipsa religio nulla est?

XIII. Tertia probatio: Quod fit ex voto, maiori charitate fit & liberalitate, quam quod sine voto. Qui enim sine voto aliquid facit, opus duntaxat offert Deo: qui autem vouet, & opus, & facultatem offert. At secundum Anselmum c. 84. de similitudinibus, *Plus donat, qui arborem cum fructibus, quam qui solos fructus donat.*

XIV. Respondeo, rursus falsum supponi: neminem offerre facultatem Deo, nisi qui vouet. Nam omnis Christianus non fructus tantum suos, sed & seipsum, id est, arborem donat Deo. Vnde Paulus, ad omnes Christianos, non ad Monachos loquens ad Roman. 2. *Adhorror vos fratres, vt sistatis corpora vestra hostiam viuam, sanctam, acceptam Deo.* Sic qui Martyrium subit, etsi sine voto (non est enim martyrium res votiuæ) tamen & se & suas omnes facultates Deo sacravit. Et Christiani omnes, quicquid faciunt ex instinctu pietatis, non aliter offerunt Deo, quam quia ipsi sunt Deo consecrati. Quare negatur ex minori charitate fieri, quæ fiunt sine voto, peculiari nimirum, qualia vota sunt nobis in disputationem proposita.

XV. Quarta probatio: Melius est, quod fit ex voluntate confirmata in bonum, quam quod fit sine eiusmodi firmitate.

XVI. Respondeo, id concedi: sed negari, quod nec ausus est assumere nihil fieri ex voluntate confirmata, nisi quod fiat ex voto. Alioquin paucorum esset Monachorum confirmata voluntas, quam tamen fidelibus communem Scriptura proponit. Poster. Petri 1. *Non negligam vos de istis commonefacere, quannus peritos, & confirmatos in presentia veritate.* Iacobi 5. *Patientes estote, & confirmati corda vestra.* Poster. ad Thesal. 2. *Consolatur corda vestra, & confirmet vos in vniuersi sermone, & opere bono.* Poster. ad Corinth. 1. *Porro qui nos confirmat vobiscum in Christum, & qui vni nos, Deus est.* Multa sunt eiusmodi.

XVII. Quinta probatio: Qui vouet, non solum excellentius opus facit, sed etiam munit seipsum aduersus tentationes diaboli, & humanam fragilitatem, ac mutabilitatem. Nam homines, quum non alligantur vinculis legum, facile mutant propositum: vnde in humanis requisita iuramenta, vt alligetur voluntas ne facile mutari possit.

XVIII. Imo propositum erat Bellarmino, melius esse & gratius Deo quod fit ex voto, quam si fieret sine voto. Ast id non concluditur isto argumento. Sed tantum non facile mutari voluntatem alligatam voto. Ast hoc ad habitum pertinet, non ad ipsum opus, de quo quæritur. Deinde, ratio non est peculiaris Continentiæ, sed communis omnibus operibus. Itaque, si inde concludas votum, nihil erit in vniuersa Christianitate, cui non sit addendum votum: quod ne ipsi quidem Papistæ velint. Tertio, immutabilitas voluntatis longe melius est ab habitu, quam à voto: quia quo magis confirmatur, hoc magis fit immutabilis, confirmatur antè magis ab habitu: quia hic ipse habitus finis est votorum, quæ inter Papistas suscipiuntur. At habitus ad bonum, etiam sine voto esse potest, vt probat experientia, neq; puto, negabunt Sophistæ. Et vero, etsi soleant adhiberi iuramenta, in rebus humanis, tamen ab iis exigere non solent, quos certum est ex habitu contracto fide non fallere. Atque adeo longe laus eorum maior, quibus vel iniuratis creditur. Vnde sequeretur, longe id melius fieri, quod ex habitu, quàm quod ex voto.

XIX. Superfluum: autoritates Veterum, quas multas Bellarminus collegit, primo Conciliorum, tum Paparum, & Imperatorum, deniq; Patrum singulorum. Nec nos sane ignoramus posse longe plures colligi: & quidem tanto, quanto posteriora erunt secula. Itaque, si nihil nisi numerantur suffragia, fatemur, Papistis esse paratum triumphum. Sed nobis certum est ponderare. Ita enim oportet in Ecclesia, in qua & nunquam humana autoritas pro regula fidei posita est, ne morum quidem: & semper id verissimum

mum quod primum: id primum quod ab initio: initium autem à Christo & ab Apostolis: nec aliunde fuit.

C A P. XVIII.

Continentiam non pendere ab electione.

I. Contra hanc Papistarum de Voto perpetuæ continentiae doctrinam, nos sic disputamus: Quicquid vouetur, id esse debet in potestate eius qui vouet. At continentia perpetua non est in potestate vilius uouentis. Ergo hæc non est vouenda. Maior parte patet; nec contradicitur ab aduersariis. Et confirmatur Lucæ 14. *Quis ex vobis, si velit turrim ædificare, non prius sedens computat sumptus, an habeat ea qua ad eius perfectionem pertinent. Ut ne, postquam posuerit fundamentum, & non potuerit perficere, omnes, qui spectarint, incipiant ei illudere?*

II. Minor facile probatur, supponendo cœlibatam castum, non simpliciter cœlibatam: & continentiam non extrinsecam, sed internam coniunctam cum cordis puritate. Nam Matth. 19. Apostolis dicentibus, *Non expedit uxorem ducere*: quibus verbis continetur hoc ipsum votum, respondit Christus, & πᾶσις χωρεῖν, non omnes sunt capaces huius sermonis: siue, non omnes capiunt verbum hoc: sed quibus datum est. *Qui potest capere, capiat.* Paulus etiam 1. ad Corinth. 7. *Velim omnes homines esse, ut ipse sum: sed unusquisque proprium donum habet ex Deo: alius quidem ita, alius autem ita.* Dico autem cœlibatibus & viris, bonum esse eis si sic manserint, ut ego maneo: quod si se non continent, matrimonium contrahant: nam melius est matrimonium contrahere, quam vri. Hæc in rem nostram manifesta sunt. Nam & rationem continentiam, qua & nos pugnamus; nimirum non omnes continere: & illud ipsum concludunt, quod & nos. Nam Apostolorum obiectionem soluit Christus, ac proinde contradicit eorum consequentiam, quæ inferebat, debere ergo homines non contrahere matrimonia, ob tantas molestias: hoc concludendum Christus negat, quia non possit ab omnibus fieri. Similiter Paulus, negat omnibus manendum, sicut ipse manebat: quia non possint omnes.

III. Bellarminus, ut dixi, maiorem non impugnat: sed in minore examinanda multus est. Distinguit donorum Dei duo genera: quædam dari absque vlla cooperatione hominis: ut robor, sanitatem, pulcritudinem, prophetias, linguas, miracula, & omnes habitus, quos infundit Deus: quædam vero consistere in auxilio diuino, sine quo non faciamus id, quod cum eius auxilio faciamus: credere, diligere, sperare, perseuerare, patientem esse. Hæc ita esse dona Dei, ut tamen pendeat ab electione, sintque in potestate nostra: quia Deus est iuuuet, non cogat tamen. Præterea, notat auxilium esse sufficiens, vel efficax: illud omnibus dari: hoc quibusdam. Continentiam in posteriori esse genere, probat octo argumentis, quæ post viderimus.

IV. Nam prius hæc ipsa distinctio excutienda: etsi non sit ingrediendum in altiore considerationem capitulum de libero arbitrio, & auxiliis siue sufficientibus, siue efficacibus, quæ suo loco sunt examinata. Dico igitur, dona Dei alius distinguenda: in necessaria, & ad ad hoc. Illa, quorum priuatio opponatur gratiæ in Christo, directe, ut infidelitas, & quæcunque sunt peccatorum genera: nam hæc omnia debet in nobis gratia Dei paulatim destruere; atque adeo ad id datur. Ista, quæ, etsi sunt effecta gratiæ, tamen in neutram oppositionis partem officiant gratiæ: qualia sunt prophetiæ, linguæ, miracula: quia, & qui miracula parat, gratiam habet: & qui non potest, gratia Dei non destituitur: sed tantum hoc dono gratiæ: quo modo Abrahamus diues erat, Lazarus autem mendicus: & tamen vterque filius Dei. In priori genere concedo auxilium Dei non tantum sufficiens, sed etiam efficax dari omnibus fidelibus, de quibus nobis certum est agere: nam infideles ab hoc instituto sunt alieniores. In posteriori autem, nego omnibus dari: non tantum infidelibus, sed etiam fidelibus: quod, opinor, manifestum est exemplis.

V. Iam, utro in ordine constituenda sit continentia, si quaras: respondeo, continentiam alias opponi coniugio, alias tantum scortationi: de ea autem nos disputare, quæ prior dicta: non de posteriore: nam Papistæ negant se in Votis comprehendere præcepta: at continentia opposita scortationi manifestum est præceptum. Ad rem igitur dico, Continentiam oppositam coniugio, esse in donis ad ad hoc: quod ipsum in aperto est: non enim aut continentia, aut ei oppositum coniugium opponitur gratiæ, ipsis, opinor, adsentientibus aduersariis: & manifeste influente Paulo, qui vtrumque pronuntiet bene facere, & qui nuptui det virginem, & qui non det. Imo, quicunque coniugium in peccatis posuerunt, eos & Scriptura, & inde Ecclesia numerarunt in hæreticis.

VI. Itaque, nego ad continentiam hanc dari omnibus auxilium sufficiens, nedum efficax. Ratio negandi in promptu. Nam, si omnibus daretur, ergo omnes haberent donum id Dei. Et si haberent, ergo omnes caperent sermonem illum continentiae: At Christus negat omnes capere: ideoque habere donum Dei. Ergo certum est, non omnibus dari auxilium sufficiens. Rursus, Si daretur omnibus, ergo & fidelibus: at non omnibus fidelibus: ergo non omnibus. Assumptum patet ex Paulo. Nam is, cum dixit, *Velim omnes esse, sicut ego sum*, de fidelibus aut solis, aut certe præcipue loquebatur: quia de Corinthiis: vnde paulo post, *Ego vero vobis parco, Velim vos absque sollicitudine esse.* Eos ipsos ergo quos vellet omnes esse sicut seipsum, Apostolus pronuntiat habere donum, alium ita, alium ita: id est, diuersa: ut vnus possit continere; alius non possit. Occurrit enim *ὁ ἰδὼν τὴν γυναῖκα τοῦ κυρίου ἡμετέρου ὡς τὸ εἶναι ἑαυτὸν ἑαυτὸν ἑαυτὸν. Ἔσθ' ὁ ἀποκρινόμενος ἑαυτὸν. Ἔσθ' ὁ ἀποκρινόμενος ἑαυτὸν.* *Est qui omnino copula abstineat. Est qui in coniuge subsistat.*

VII. Verum continentia est in eo donorum genere, inquit Bellarminus, quæ consistunt in auxilio diuino: & hæc tamen pendet ab electione nostra. Sed hoc quoque nego: Concedo equidem duo esse genera donorum Dei, quorum alia sint absque vlla nostra cooperatione: alia vero minime: sed hæc omnia pendere ab electione nostra non concedo. Sunt enim distinguenda adhuc in duos ordines. Est enim voluntas præcurrentes: est voluntas concurrens. Præcurrentem appello, quæ ipsa præ-

cedit opus, ut cum eligat aliquis domum ædificare, antequam ædificet: voluit Iacob contrahere matrimonium, etiam aliquot annis ante quam contraheret. Concurrentem vero, quæ non separatur ab actu, qui non potest absque ea fieri: ut Episcopi officio fungitur volens Timotheus: & David regnabat volens. Iam quæ eiusmodi sunt dona Dei, ut adiuuent voluntatem præcurrentem, concedi potest eorum actus pendere ab electione nostra. Sed quæ eiusmodi, ut voluntatem concurrentem, hæc vero negamus omnia pendere ab electione. Nam hæc ipsa exempla, quæ diximus, Episcopi, & regis, non pendebant ab electione Pauli, aut Davidis, sed à vocatione.

VIII. Iam continentiam esse in posteriori ordine, manifestum. Nam si non esset, ergo nemo non posset continere: quia nemo non potest optare: neque expectandum est eam quidem ob causam donum aliquod particulare: quod tamen & Christus docet, & Apostolus. Etenim Apostoli cum dicerent expedite non nubere, significabant, propositis tantis matrimonii incommodis, aut nullum, aut vix vllum futurum, qui non eligeret potius cœlibatam. Et Christus, respondens non omnes capere, significauit, ne eos quidem, qui tanquam melius eligerent, posse implere.

IX. Videamus nunc argumenta Bellarmini, quibus suadet continentiam esse in arbitrio positam, vel potius in potestate nostra. Primum argumentum ab iis verbis: *Sunt Eunuchi, qui se castrarunt propter regnum cælorum.* Nam si continentia esset ira donum Dei, ut ab electione non penderet, dicendum fuisset, *Sunt Eunuchi, qui sunt facti à Deo*: non autem qui se castrarunt. Probat, quia ideo de abscissis dicitur, quod sunt facti ab hominibus, non autem quod se castrauerunt: quia ipsa abscissio opus est alienum, non proprium. Deinde, si donum continentiae simile est dono prophetiæ, linguarum, sanitatis, & eiusmodi, cur non dicimus, *Sunt Prophetæ, qui se ipsos Prophetas fecerunt, sicut dicimus, esse Eunuchos, qui se ipsos castrarunt?*

X. Respondeo, ludere Sophistam in sono vocabulorum. Nam alioquin reidem est: *Qui se castrarunt propter regnum cælorum*: & qui à Deo castrati sunt. Apparet Sole clarius ex ipsis Christi verbis. Nam cum dixit Christus, non omnes capere, tum eos excepit quibus datum est. Quæ phrasia significat, omnes qui possunt, accepisse à Deo ut possint: ac proinde neminem posse, qui non acceperit. At qui se castrarunt propter regnum cælorum, potuerunt. Ergo acceperunt. Non ergo pugnant, castrare se, & castrari à Deo, sed illud huic subalternatum: quia non castrat Deus nolentes, & adeo non castrat nolentes, ut castrat per ipsam voluntatem.

XI. In priore probatione, castrati ab hominibus, significant eos qui non ex gratuito dono Dei, sed ex solo motu humano Eunuchi facti sunt, siue opus id sit alienum, siue proprium. Quis enim nescit Origenem non aliena vi, sed sua ipsius fuisse mutilatum? Theophylactus, ὁ οὐκ ἀποκρίων ὁ δὲ ἐκ διδασκαλίας ἀφ᾽ ἑαυτοῦ ἐκτεμνόμενος τὸν ἑαυτοῦ σαρκοῦς ἐπιθυμίας πλεονεξίας: *Ab hominibus fit Eunuchus, qui ab humana doctrina excindit carnalis concupiscentiæ ardorem.* Ast hi certe non ab aliis, sed à seipsis facti sunt. Quemadmodum ergo, qui seipso castrat, persuasi disciplinis hominum, ab hominibus castrati dicuntur: cur ad à Deo, qui persuasi motibus diuinis?

XII. In altera probatione, nemo nostrum dixit continentiam esse per omnia similem prophetiæ, & similibus. Sed si in aliquibus capitibus dissimilis sit, non sequitur non esse in eo similem, quod neutra pendeat ab electione. Enimvero, quod nemo dicitur seipsum prophetam fecisse, manifesta causa est, quia prophetia non fit in voluntate, aut per voluntatem: sed in intellectu, & per intellectum. Sed, continentia, contra, in voluntate, non intellectu.

XIII. Secundum argumentum: Illa verba, *Qui potest capere, capiat*: cohortantur ad continentiam: item 1. ad Corinth. 7. *De virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do.* At quis sapiens hortaretur vniquam ad id, quod non est in potestate?

XIV. Respondeo: homonymiam esse in eo quod non est in potestate. Potest enim significare id, quod non possit fieri, ne tum quidem quum velimus. Et hoc modo, nemo nostrum dicit continentiam non esse in potestate nostra. Alias significat id, quod non pendet ab electione nostra: & hoc quidem modo nos disputamus de Continentia: & probauimus ex C H R I S T I & Pauli verbis. Nam si penderet ab electione, & ita esset in potestate nostra: ergo quicumque vellet, esset continens. At, quæ hoc sensu non sunt in potestate nostra, ad ea nihil absurdi est, si nos hortetur Scriptura. Nam & crebro facit: *In me credite*, ait Christus: Ioannis 14. & tamen certum, fidem non pendere ab electione nostra.

XV. Præterea, quæ dona sunt Dei, ea tum sunt in potestate nostra, cum sunt accepta. Itaque nihil est absurdi, tum fieri adhortationes. Hæc Martyris solutio est, dicentis, ut refert Bellarminus, has cohortationes dari iis, qui donum Dei habeant. Nam, qui potest capere, capiat: id est, quando quidem non omnes possunt, sed ii tantum, quibus datum est: ii ergo, quibus datum est, vtantur dono suo, & contineant.

XVI. Instat Bellarminus: *Qui donum habent, non possunt non continere.* Sic enim dictum à Bucero, sicut famelicus non potest non auide cibum sumere, si offeratur ei: sic, non posse non continere ab uxore ducenda, qui donum id à Deo susceperit. Quod si, qui donum non habent, non possint continere: & qui habent, non possint non continere, qui sunt illi, quos Christus & Apostolus ad continentiam cohortantur?

XVII. Breuis & facilis responsio: Ii enim sunt ipsi, qui non possunt non continere. Sunt, qui donum fidei habent, non possunt non credere: nam si non credant, ne habent quidem id donum: & tamen audiunt, *In me credite.* Etenim illud capiunt, non significat, quarant donum, quod non habent: sed vtantur dono, quod habent. Et tamen Bucero imponitur. Is enim dixit potius, *Quam non potest etiam cupide non edere, cui famelico tandem copia edendi facta est, ita non potest non summo tum gaudia cœlibatam amplecti, cui contigerit uxore non habere opus.* Quæ verba non significant, non posse aut illum famelicum non edere, aut hunc non continere: sed non posse non illum cupide, hunc cum gaudio. Nam absolute non posse edere, abstinere, falsum. Nam hoc donum, potentiam non actum

actum significat; & quidem rei indifferentis. Itaque in alterutram partem: ut possit idem uxorem ducere, ac caste vivere in connubio: & possit tamen idem non ducere, & caste vivere in cœlibatu. Neque enim dubitem multos ex iis, quos Paulus iubet non querere solutionem, habere tamen facultatem continendi, non continere tamen, quia vocati sint ad matrimonium. Sic Paulus ita dicit, viduam liberam ad cui velit nubendum; ut tamen beatorum futura sit, si non nupserit. Sic ipse seipsum dicit posse uxorem fororem circumducere. Quia ergo res est indifferentis, ideo quibusdam concedit Deus voluntatem, quibus non concedit donum: quibusdam etiam donum concessit, quibus denegat actus facultatem. Et quibus tamen dat actus facultatem, eos tamen non cogit. Quomodo quibusdam voluntas data est viuendi in libertate, qui tamen non possunt: & qui possunt esse liberi, iudem possunt renuntiare suo iuri.

XVIII. Tertium argumentum: Illa verba 7. prior. ad Corinth. *Quod vult, faciat: non peccat, si nubat*, liberam optionem dant eligendi coniugium, aut cœlibatum: quomodo ergo non est in arbitrio hominis positum, ut contineat si velit: non enim de rebus impossibilibus vlla deliberatio esse potest.

XIX. Optime, inquam. Sed optio datur, non cuiusque: sed ei, cui datum est posse continere. Nam iis qui non possunt, non optio datur, sed præceptum nubendi. Et patet ex ipso loco, quem truncatum Bellarminus protulit, *Si quis aliquid non decens à se in virginem suam committit putat, si florem atatis excedat, & ita debet fieri: quod vult, faciat, non peccat: iungantur matrimonio. Qui vero stat firmus in corde, nec adigitur necessitate, sed in potestate habet propriam voluntatem, & hoc decrevit in corde suo, ut seruet suam virginem, bene facit.* Vide: daturis nuptum virginem, vnam proponit conditionem, nimirum propriam voluntatem, si putet indecens virginem non nubere: at destinatus cœlibatui, non hanc tantum, ut ita decrevit: sed præterea, ut non adigitur necessitate, sed in potestate habeat propriam voluntatem. Vnde manifestum sit, non sicut omnes possunt nuptum dare, qui volunt: sic omnes posse cœlibatui destinare, qui volunt: ac proinde quosdam velle, qui tamen non possunt. Nihil dici manifestius potest in nostram sententiam: ut omnino constet, non dari optionem ex æquo, id est, supposita sola voluntate, quod Bellarminus contendit.

XX. Amplius dico: Hæc verba: *Quod vult, faciat: non peccat*, optionem non significant propositam iis ad quos scribitur: sed sententiam Pauli, super voluntate eorum, qui proposuerunt dare nuptum. Nimirum patet, hæc dicta de altero tantum membro: itaque sensus est, faciat non utrum velit, sed id quod iam apud se constituit. Denique, & vno verbo, permissio est eius, quod iam optatum est: non potentia optandi.

XXI. Quartum argumentum: Continentes ac cœlibes in Scripturis laudantur, & præmiis afficiuntur. Nam Esaiæ 56. Eunuchis promittitur *nomen melius, quam filiis & filiabus*. Apocal. 14. *Virgines cantant canticum novum, quod nemo alius cantare potest.* At nullum præmium, nullam laudem merentur opera, quæ non sunt in nostra potestate: nec enim præmio afficiuntur qui prophetant, qui linguis loquuntur, qui morbos curant, qui demones eiciunt: quia hæc folium Dei dona sunt. Igitur continentia non est solum donum Dei: sed etiam libera hominis actio.

XXII. Respondeo. Primo, concedi quidem antedecens, non de virginibus Eunuchisve absolute: verum de iis qui castrantur se propter regnum cœlorum: sed non probari tamen iis locis ex Esaiæ & Apocalypsi. Nam in Esaiâ, Eunuchi non peculiariter ii designantur, qui castrantur se propter regnum cœlorum: sed in indefinite Eunuchi, quantumvis Hieronymus videatur restringere. Melius Cyrillus: *Eunuchus, id est, carens liberâ & sobole: ne dicat apud seipsum, Ego sum lignum aridum, ne moleste ferat orbitatem: apud Deum enim nihil est, nec enim reiciet. Nam quæ virtus est, cuius præclari facinoris splendor prolis fecunditas? Carnis enim opera sunt hæc, nec reprehensione, nec laude digna. Et si enim aliquibus benedictionis loco datum sit, ad hoc Deo vocante: at nihil erit non habentibus incommodi. Quid enim contra eos dici potest, qui ante horam, vel ante nuptias defuncti sunt? Et à commercio rerum nostrarum abstinerunt: quibus non erat foetus liberorum? En tibi in Eunuchis eos, qui moleste ferebant orbitatem: qui ante horam, qui ante nuptias decefferant. Non igitur soli ex voto. Lyranus, *Eunuchus, id est, impotens ad generandum.* Quod cum ita sit, ergo ne agit quidem Esaias de præmio vlllo cœlibatus. Lyranus *Veritas asseritur: videlicet, quod Eunuchus, & Gentilis veniens ad fidem tantum bonum consequetur gratia in presenti & gloria in futuro, ceteris tamen paribus; quantum recipiet Iudæus natione, & dotatus multa prole.* Audi Gentiles & Eunuchos venientes ad fidem. Ergo gentiles & Eunuchos ante fidem: non dantur autem præmia eorum quæ ante fidem.*

XXIII. In Apocalypsi similiter, Virgines, non ad literam, qui abstinent mulieribus: Nam primum ita definiuntur, *οἱ μὴ γυναικῶν ἐσὶν ἰμωμένοι*, qui cum mulieribus non sunt inquinati. Quæ definitio non excludit eos qui sunt casto coniugio, id est, teste Paulo, *κοίτη ἀμώτων ἐστὶν ἰμωλωμένη*: Nam & Paulus virgines appellat promiscue fideles, post ad Corinth. II. *Preparavi vos, quos uni viro: ut virginem puram sibi am, nempe Christo.* Deinde describuntur, *Qui sequuntur agnum quocumque ierit: qui empti sunt ex hominibus, primitia Deo & agno:* quæ omnia manifeste pertinent ad omnes fideles. Tum etiam Canticum illud novum, dicitur non posse cantari, nisi ab illis centum quadraginta quatuor millibus, qui empti sunt à terra. Atqui non soli cœlibes empti sunt à terra. Aretas, *ὁ πῶδ' ἄτον ἢ βροντῶν ἢ κίθαρας φωνῆ, το δὲ πρῶτον δὴλοῖ τὸ ἄγλιον ἰμωδίας ἢ ἰμωλῆς αὐτῶν ἢ διήκη ἢ συμφῶν. ἀδῆς τὸ πῶσαν ἀδελφῶν τῶν ἢ ἕσσαν οἱς δὲ πρῶτον ἢ ἀμώτων ἐκκλησίαν πρῶτον πᾶν ἡγεῖται, Aquarum, & tonitruum, & Citharæ sonus, vehementiam significat cantici sanctorum, atque eorum bene composita, atque resonantis, & concordis canionis, quæ uniuersam continet eorum qui in cœlis descripti sunt primogeniti.* Eadem legas apud Andream. Ambrosius ille, quisquis est, commentariis in hunc locum prolixus est, contendens non de solis cœlibibus intelligendum. *Ista centum quadraginta quatuor millia, electos qui in cœlesti gloria cum Domino latantur, significant.* Post, *Hic magna obscuritas est: dicit quippe centum quadraginta quatuor millia non fuisse conquinatos cum mulieribus, virginesque esse, & ideo canticum novum*

cantare, quod nemo potest dicere, nisi illi soli. Scimus autem quosdam ex Apostolis atque martyribus uxores habuisse. Nunquid ij qui virginitatem corporis seruare studuerunt, laudes Deo decantant, & isti in laudibus Dei muti existunt? Maxime, cum sciamus ex utroque sexu, parui meriti homines virginitatem corporis usque ad mortem seruasse, sicut sunt infantes & pueri, quos atas virginitatem amittere non permittit. Vidimus etiam quosdam aliquibus peccatis obnoxios, virginitatem corporis, usque ad mortem seruasse, quos credimus per ignem purgatorium esse purgandos, ut in iustorum numero quandoque adscribi mereantur. Nunquid istos tales Apostolis, & Martyribus, quos uxores habuisse Scriptura non tacet, præferre audebimus, ut illud Canticum suauissimum Deo offerant, à quo Petrus eiusque similes alieni existant? Post, Si superficiem lectionis diligenter attendimus, inueniemus non de solis virginibus, sed de omnibus sanctis animabus, hæc esse dicta.

XXIV. Secundo, respondeo, nulla opera, quæ non sunt in nostra potestate, laudem præmiumve mereri: si intelliguntur, quomodo nunc disputamus, non pendere ab electione; falsum sumitur: nam fidei magnum est præmium: quæ tamen non est eo modo in potestate nostra. Atque adeo falsum, qui prophetant, qui linguis loquuntur, qui morbos sanant, qui demonia pellunt, nullum referre præmium. Nam saltem, qui plurimos docuerint, & in his propheta sunt, lucebunt ut stellæ in firmamento. Enimvero, etsi ipsa facultas, siue abstinenti, siue prophetandi non pendeat ab electione nostra, tamen eius facultatis actus singuli fiunt à voluntibus; atque ita, cum illa fuit data; hi sunt in potestate. Datur autem præmium his actibus, qui hoc modo sunt in potestate.

XXV. Quintum argumentum: Non minus donum Dei est, credere, quam continere. At credere possunt omnes, qui volunt: & sine temeritate in baptismo promittunt se fidem seruaturus. Igitur & continere possunt omnes qui volunt: & sine temeritate multi promittunt Deo se continentiam perpetuam seruaturus.

XXVI. Respondeo, Omnes credere qui volunt; vel, ut velint, antequam credam: vel quia nolint, nisi cum credant. Illo modo, falsum Bellarminus ponit. Nam, *nemo potest venire ad me, nisi Pater traxerit eum*: Ioan. 6. Act. 13. *Crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam.* Ad Philipp. 1. *Vobis datum est, ut in eum credatis.* Post, ad Thessalonic. ultimo, *Non omnium est fides.* Non ergo verum omnes credere, qui volunt, id est, ab electione fidem pendere. At altero modo verum, omnes credere qui volunt, quia nemo credat inuitus: & similiter, omnes abstinere, qui volunt. Sed inde non sequitur, abstinentiam esse in potestate electionis.

XXVII. Sed promittitur fides seruanda in Baptismo. Ita est, inquam: & sine temeritate: quia ex necessitate præcepti: nam damnantur quicumque non crediderint: siue vouerint credere, siue non vouerint, quia non continuerint, id est, uxorem duxerint. Paulus testatur *Deum velle, ut omnes seruentur, & veniant ad agnitionem veritatis.* At certum est Deum nolle omnes continere. Itaque, quod instans Bellarminus ponit causam, cur negemus vouendam continentiam, non esse, quod non sit necessaria, sed quod non possibilis: falsum est: vtraque enim connectenda causa est. Nam, si esset necessaria: tum nulla impossibilitatis excusatio admitteretur: omnino enim deberet voueri: & peccatum esset certum, non tantum non præstare, sed etiam non vouere: ut in infidelibus, qui non possunt credere, & tamen eo ipso peccant.

XXVIII. Deinde qui fideles vouent in Baptismo, iam habent donum fidei, saltem inchoatum. Itaque non promittunt quod non habent: sed quod habent. At hic nos de iis disputamus, qui vouent quod non habent, sed duntaxat sperant, vel potius, si vere fatentur, quod sentiunt, optant habere. Longa ergo distantia. Nec bene sequitur: si voueatur id quod iam habebatur: vouendum esse id etiam quod non habebatur.

XXIX. Sextum argumentum: Si continere non possint omnes, qui volunt; ergo multis hominibus nullum peccatum est fornicari. At hoc absurdum, ergo illud. Probatur consequentia: Nam si quis antequam uxorem ducat, grauissime urgetur stimulis carnis, & donum continentie forte non habeat, quid agat? fornicabitur, ne impune? Rufus: Si duxit, & abest procul, ut læpe fit, aut vxor graui morbo diuturnoque labore, ut non liceat debitum petere, mœchabitur, si vritur, & non habeat donum continentie.

XXX. Mirum genus disputandi! Pollicetur demonstrare, non esse quibusdam peccatum fornicationem: post tamen tantum interrogat, an sit non peccatum. Hoc primum fuit obseruandum: non enim temere quicquam simile videas apud Aristotem disputandi magistrum. Porro nego sequi. Et dico, eum qui ante uxorem ductam fornicabitur propter incontinentiam, non latum impune. Dico, eum, qui vel procul ab uxore, vel eadem longo morbo detenta adulterium committet, non latum impune, id est, peccatum. Neque cedam, dum Bellarminus nihil nisi interrogabit. Quis enim cedat, ubi vis obstat nulla? Et Iesuitæ ii sunt scilicet, quorum nos strepitus terreat.

XXXI. Quid faciat? Primum, inquam, non est meum dicere. Tum, ne repudiato instituta à Deo remedia: si non sunt, extraordinariis vitior, *Deum* deprecator, etiam ieiunato. Optime, inquam: sed cur non idem faciat, qui vouit? Quia, inquam, tentat *Deum*: Iniicit se prudens sciens in medium periculum, tum precatur. Atqui certum est, qui amat periculum, peribit in eo. Si quis in altam turrim elatus, præcipitetur a barbaris, huic licet *Deum* inuocare: & potest sperare auxilium. Qui autem se ipse deicit, indignus auxilio, cur precetur, cur speret? At qui non potest uxorem ducere, si quis tamen est qui non possit: si quis ducta non possit vti, is præsertim necessitati, ideoque *Deum* obsequitur: itaque se cure potest inuocare eum, quem non tentat.

XXXII. Septimo tandem loco testimoniis vtitur Tertulliani de Monogamia: Origenis, Hieronymi, Chrysostomi commentariis in Matthæi decimum nonum. Nazianzeni oratione trigésima prima, Ambrosii tertio de Virginibus: & de Viduis: Augustini in Psalm. 131. & 66. Confession. II.

XXXIII. Sed facit, ut solet, absque iudicio, absque delectu. Nam primo, ho-

mo, horum testimoniorum quædam nulla sunt testimonia. Non enim certe Ambrosii: non Augustini. Ambrosius quid habet? *Dominus, qui sciret prædicandam omnibus integritatem, imitandam paucis, non omnes, inquit, capiunt verbum istud: sed quibus datum est.* Et hoc aulus est Bellarminus proferre, ut probaret, continentiam esse in cuiusque arbitrio positam? Quid non speremus amantes? Nam profecto contra diserte, non omnes capere: quod nos asserimus. Et statim, *hoc est, non est communis plurimis, & vulgaris integritas.* Quid vero dici potest communius, quid vulgarius, eo quod pendeat à cuiusque arbitrio? Sed omnibus prædicandam dixit. Audio. Quid tum? Omnibus prædicandam, id est, cuiusque possibilem? Sic ausit Sophista? Elige, prædicandam, id est, vel laudandam: & quid ad rem? Nam etiam, quæ pauci possunt præstare, non sunt tamen non omnibus laudanda. Vel, omnibus proponendam etiam hortando: & ne hinc quidem quicquam sequitur: quia, etsi fides non sit omnium, tamen eandem omnibus sic prædicandam constat.

XXXIV. Neque in de Viduis alia mens, *Non omnibus imperatur, ab omnibus flagitatur.* Nam atque de paulo post quam dixit, *qui mandata dat decretorum, semper tenere debet mensuram:* tum applicans, *Sunt pensa quæ diuidit sapientia, & ita diuidit, ut virtutem viresque æstimet singulorum.* Quid hoc est, nisi non æquas esse omnium vires, ac proinde non eadem omnia posse? Non imperari ergo omnibus continentiam, quia non omnibus vires sufficiunt? Ergo non omnes possunt. Et statim, *Et ideo dicit, Qui potest capere capiat.* Nonne manifesta distinctio eorum qui possunt, & eorum qui non possunt? Propterea statim, quæ Bellarminus addidit, *Scit enim creator omnium affectus esse varios singulorum. Et ideo præmittit virtutem prouocauit non infirmitatem vinculis alligauit.* Audin' diuersos affectus, propterea virtutem prouocari, infirmitatem non alligari? Nemo, opinor, est adeo cæcus, ut non videat, quid sit, quod virtus non vitio, sed infirmitati opponatur: nempe, quod ei virtus, viresque idem fonent; quas etiam paulo ante coniunxit. Ergo virtutem prouocare, nihil est nisi hortari eos, quibus vires sufficiunt: infirmitatem non alligare: non obligare eos quibus eadem vires non sunt. Quare Ambrosius non dixit, Continentiam cuique volenti facilem esse.

XXXV. Quid Augustinus? Tantundem. In Psalm. 131. de Continentia nihil est: sed de Voto Davidis pollicentis se ædificaturum templum, *Ipse David, vouit tanquam in potestate habens:* quæ verba maiorem nostram confirmant, non esse vouendum, nisi quæ in potestate sunt nostra, *Et rogat Deum, ut impleat, quod vouit. Est deuotio uolentis, sed est humilitas deprecantis.* Nemo præsumat viribus suis se reddere quod uouerit. Recite: quia ne ipsa quidem vires nostræ, quibus implemus quod uouimus, etiam si non uouerimus, nisi quod habemus in potestate: illa, inquam, vires non à nobis sunt, sed à Deo. Itaque quod uouimus, ita demum habemus in potestate, cum Deus dederit. Non autem ita, ut prius sit in potestate nostra, deinde Deus adiuet, ut perficiamus. Absit. Sed quia, & ipse dedit, ut in potestate esset, tum quum uouimus: & post dat, ut perficiamus. Inde, *Qui te hortatur ut uoueas, ipse adiuat ut reddas.* Sed nunquam Deus hortatur ut uoueas, quod non est tibi concessum ut possit.

XXXVI. In Confessionibus, *Vtique daret, si gemitis interno pulsarem aures tuas, & fide solida in te tactarem curam meam.* Ita est. Sed primo voti nullus Augustinus meminit. Continentiæ quidem: sed voti nullius. Quid ergo obstat, quominus dicamus, sensisse, sibi prius postulandas vires, deinde, si forte, vouendum? Sed & illud ipsum, non necessariam conscientiam significat: quasi nunquam quicquam fideles postulent, quod non obtineant. Hoc enim manifeste fallum conuincit etiam experientia: sed verisimilem duntaxat spem, quam concipiunt fideles, non inutiles futuras preces suas.

XXXVII. In de adulterinis Coniugiis manifestus mendaciæ reprehenditur Sophista. Nam cap. 10. & 13, nihil nisi contra eos disputat, qui, quia continenter viuere paucorum sit, concluderent, legem Christi prohibentem post diuortium noua coniugia contrahi, feralem esse. Eam ille quæstionem ita disputat, ut antecedens illud, paucorum esse continentiam, nunquam tollat: sed consequentiam constanter neget. Capite autem 20. exemplo Syrarum mulierum conuinci non esse impossibile, continere viros, quibus non conceditur uti matrimonio contracto, quod tamen quidam se non posse causabantur. Enimvero, ne nos quidem contradicimus. Nam primo, esse impossibile non dicimus, qui negamus tantum esse omnibus datum. Inde enim consequens est, dari aliquibus: & quibus defuit, eis esse possibile. Atqui, si esset impossibile: neque cuiquam esset possibile: ac proinde nemini daretur. Deinde, non de continentia, & matrimonio legitimo Augustinus disputat: sed de continentia, & adulterio.

XXXVIII. Tertullianus. Atqui primo testis est infamis hæreticus: & quidem hanc ipsam quæstionem disputans contra Psychicos, id est Catholicos: unde liber de Monogamia, sepositus à Pamelio in eorum Catalogum, qui in hæresi aduersus Ecclesiam scripti sunt. Intererat eius, qui prohibebat omnino secundas nuptias, tanquam fornicationem, persuadere, promiscuam esse continentiam. Sed Spiritus Sanctus in Paulo aliter: qui propter periculum scortationis, non tantum iussit vnumquemque habere propriam uxorem: sed etiam iuniores viduas nubere. Quod, cum ille soluere non posset, *Regnauit, inquit, diuitia cordis usque ad Christum: regnauit & infirmitas carnis, usque ad Paracletum. Noua lex abstulit repudiium: Habuit, quod auferret noua prophetia:* (sic enim lego, mutata interpunctione ut fluat oratio) *Secundum matrimonium, non minus repudiium prioris.* Horrenda Christianis blasphemiam.

XXXIX. Sed alia mittamus: hoc ipsum dispiciamus, quo Bellarminus abusus est: tantum non auallum, *Quandiu causabimur carnem, quia dicit Dominus, Caro infirma: Sed præmissi, & Spiritus promptus: ut vincat spiritus carnem, ut cedat quod infirmum est fortiiori.* Nam & qui potest capere, capiat, inquit: id est, qui non potest, discedat. Discessit: & illo diues, & non ceperat substantiæ diuidendæ egenis præceptum, & dimissus est sententiæ suæ à Domino. Nec ideo diuitia imputabitur Christo de arbitrio cuiuscunque liberi vitio. Ecce, inquit, posui ante te bonum & malum: elige quod bonum est: si non potes; quia non vis (posse enim te si velis, ostendit, quia tuo arbitrio utrunque proposuit) discedas oportet ab eo cuius non facis voluntatem. Quis non exsecretur

impuri Montanistæ impudentiam, qui ausit illud, qui potest capere, capiat, ita interpretari, ac si inferret, eum, qui non potest capere, oportere à Christo discedere: quasi non faceret Christi voluntatem? Quod si est, quin iam omnino interdicitur matrimonium Christianis? Nam profecto, Christus non agebat de secundis nuptiis, quas Tertullianus impugnavat, sed omnino de non ducenda uxore. Et tamen non potuit Bellarminus manum continere, ut non falsaret. Nam pro, *Si non potes, quia non vis,* quod Tertullianus scripsit, ut est in Pamelii & Laurentii de la Barre, & Iunii editionibus, ille posuit, *Si non potes, est, quia non vis: longe diuerso sensu.* Et sane cur quicquam esset additum, si nihil mutaret?

XL. Origenes: Ne hic quidem testis locuples. Nam in hoc ipso negotio non laudatus: qui ipsum se exsecuerit: non facilem credo, nec à sua optione positam continentiam expertus. Sed quid Origenes tamen? *Qui vult capax esse verbi* (Bellarminus mutauit, qui vult capere verbum, credo ne præiudicaret sibi paulo post negaturo, & *signare capacem esse) quod de castitate positum est, petat, credens dicenti, & accipiet: non dubitans de eo quod dictum est, omnis qui petit, accipit.* Hic quidem nihil est, quod reprehendam: Imo quod laudem. Nam hæc manifesta nostra sententia est. Etenim qui vult capax esse, nondum capax est. At, qui nondum est capax, nondum potest. Itaque significat Origenes, neminem continere posse, antequam acceperit. Non accepisse omnes, credo non denegaturum Christo. Ergo legitima conclusio est, non posse omnes: quod nos volumus. Postulet, ergo, inquit. Sane, inquit, postulet. Quis enim nostrum prohibuit? Sed hoc nimirum non agit: illud potius, utrum vouere quis debeat antequam acceperit.

XLI. Scilicet, omnis qui petit, accipiet. Hoc enim superest in Origene: sed commune cum Hieronymo, *Hic datum est, qui petierunt, qui uoluerunt qui ut acciperent, laborauerunt.* Omnis enim petenti dabitur, & querens inueniet, & pulsanti aperietur. Cum Nazianzeno. Cum audis, quibus datum est, adde datum esse iis qui uolunt & assentiuntur.

XLII. Sed, si nullam exceptionem admittas, doceo esse falsum. Iacobus 4. *Petitio & non accipietis, eo quod male petatis.* At qui tentat Deum, male petit. Et tentat Deum, qui vouet antequam possit. Maldonatus in Lucæ 7. *Docuimus supra, affirmantes propositiones nunquam esse simpliciter, & sine exceptione intelligendas. Ad eam regulam hic locus explicandus est. Non enim omnis qui petit, accipit: sed qui ita petit, ut debet.* Iansenius Concordiæ capite 43. Generalis illa sententia, *Omnis qui petit, accipit, sic primum est accipienda, omnis qui petit recta, & recte, vel qui petit qua oportet, & quomodo oportet.* Præter hæc uera in orante requiritur, ut non sit in eo legitimum impedimentum, quo se indignum faciat exauditione apud Deum. Nec uero aut Origene, aut Hieronymo, aut Nazianzeno sermo tunc fuit de uouenda continentia, antequam quis obtinuerit.

CAP. XIX.

De nuptiis necessariis propter fornicationis periculum.

I. Argumenti præcedentis appendix est autoritas Pauli inponentis Argenti aliquod necessitatis contrahendi matrimonii, quibusdam personis. Prior. ad Corint. 7. *Propter scortationem, suam quisque uxorem habeto, & proprium quaque virum habeto.* Item, *Dico autem cælibibus & uidiuis, bonum esse eis si sic manserint, ut ego maneo. Quod si se non continent, matrimonium contrahant, nam melius est matrimonium contrahere, quam uiri.* Prior. ad Tim. 5. *Volo igitur iuniores uiduas nubere, liberos gignere, domum administrare, nullam occasionem dare aduersario ad maledicendum.*

II. Nota, in hoc non indiligenti tractatu de coniugio & cælibatu, Paulum præferre cælibatum matrimonio, ut commodiorem: ideoque suadere, ut potius eligatur, si fieri possit; nunquam tamen egressum limites simplicis exhortationis, siue consilii: adeo ut etiam iis, quibus omnia erunt commoda, hortandis vehementer insisteret: absterneat autem diligenter ab omni specie præcepti aut imperii. Alit in alteram partem longe feruorior, non tantum iis qui iam matrimonio sunt obligati, præcise imperat, ne querant solutionem, neque fraudent inter se: sed etiam iis qui erunt soluti, si uirantur, si non possint continere, legem imponit matrimonii contrahendi, ut vitetur fornicatio. Cui quis non uidet, & quæ sit in eo opponi hanc de uotiuâ continentia doctrinam? Nam hæc, non contenta immensis cælibatus laudibus, vndique corrogatis potius quam à Scripturis, & hortatur, quam potest vehementissime, quoscunque liberos, ad fugiendum matrimonium, & ipsos coniugatos docet secedere, & fraudare inuicem: & fornicationis pericula extenuat, quam potest maxime. Unde nemini dubium esse potest, & monastica deuotioni contrariam esse hanc Apostoli doctrinam: & ipsum si reuulserit, anathemate percussurum, quantumcunque hodie Monachorum est.

III. Bellarmini solutio triplex est. Prima: in nullo horum locorum vocari ad nuptias ab Apostolo, eos, qui tentantur stimulis carnis: sed eos, qui incontinenter viuunt, ita ut flagitiis se polluant.

IV. At nos pro certo habemus Apostolum uoluisse homines hortari ad utrumque, id est, tum ad renuntiandum iam contracto crimini scortationis, tum ad præueniendum futurum, quum quis se in id procliuem esse senserit. Et libenter cum Caluino tres gradus tentationis distinguimus: Imo post Iacobum potius: nam quamuis à Caluino possum tuto: tamen ab autore Canonico longe præstitit. *Vnusquisque tentatur, dum à propria cupiditate abstrahitur & inescatur.* Deinde cupiditas, postquam concepit, parit peccatum: peccatum uero gignit mortem. Scilicet primo titillamur, & mouemur cogitationibus allicientibus ad peccatum: & mouemur, non per mouemur tamen. Secundo, non tantum agitur cogitatio, sed etiam voluntas flectitur, & in consensum trahitur: ut iam formentur desideria mala, quibus, ut ita dicam, deest sola occasio implendi facinoris. Tertio, ipsa hæc desideria exeunt in actum, ut ipso compleantur opere. His omnibus gradibus dicimus à Paulo opponi matrimonium, tanquam optimum remedium: atque id tanto magis necessarium, quanto maior vis tentationis in secundo gradu, quam in primo: in tertio, quam in secundo. Et fieri

fieri quidem hoc remedium necessarium, secundo & tertio: non tamen absolute: sed saltem pro circumstantiis, vel longe praestet matrimonium, quam, non dicam opere ipso pleno coartari: sed vel quotidie lucrari cum tentationibus illis secundi gradus: unde non possit non exire immanis conscientiae inquietudo

V. His positis argumenta Bellarmini perpendamus, quibus nostram impugnare speravit sententiam. Primum, quia Paulus vitionem explicat per incontinentiam: cum dicit, Si non se continent, nubant: melius est enim nubere quam viti. Nimirum causam reddens, cur debeant nubere: quia scilicet melius sit nubere quam viti, id est, non continere. Constat autem incontinentiam, non tentationem esse, sed flagitium.

VI. Respondeo: Primo non esse necesse interpretari, illud viti, per non continere, tanquam vtrumque vno gradu. Possent enim vehementius exponi per maius & minus: siue etiam per speciem & genus: ut sit argumentum: Longe meliores esse nuptias quam vitionem. At incontinentiam esse siue speciem, siue gradum vitionis. Ergo meliores esse nuptias quam incontinentiam. Sicut cum dico, Omne animal vivit: at omnis homo est animal. Nemo tamen dicat, idem esse hominem, & animal. Secundo, quia per flagitium Bellarminus intelligit opus consummatum, id est, plenam fornicationem, nego omnem incontinentiam esse flagitium. Eo, inquam, sensu: nam si flagitium pro peccato, concesserim: & post disputabo. Enimvero, etiam qui non fornicatus est actu, hunc tamen Christus pronuntiavit esse mechum, id est, incontinentem in corde suo. Paulus autem vitandam vult etiam cordis incontinentiam.

VII. Secundum argumentum: quia non dicit Paulus, propter tentationem fugiendam, sed propter fornicationem fugiendam, quisque suam uxorem habeat: id est, non si tentaris, sed si fornicaturus es, uxorem potius habeas.

VIII. Imo, si fornicaturus es, idem est quod propter tentationem: nondum enim flagitium est, si flagitium pro actu externo, non pro peccato in genere. Nam si pro peccato, iustus est vocabulorum: quia certum, tentationem esse peccatum, etiam quum in primo gradu, multo magis in secundo. Itaque, qui iubet te uxorem ducere, cum alioquin fornicaturus sis, is significat tibi propter ipsam fornicationis tentationem ducendam esse uxorem. Nec potest illud si fornicaturus es, aliter intelligi, quam propter periculum fornicationis, nimirum dum in incerto es, vtrum sis fornicaturus, ita tamen ut eo magis propendeas. Nam si omnino fornicaturus sis, quid prodest remedium? Res est plana. Itaque Iustinianus in paraphrasi, ne quis impuro scelere contaminetur. In commentario, Iis qui fornicationem, aut fedius aliquod impura libidinis genus admittunt. Non admittuntur sunt, ut Bellarminus, si fornicaturus es: sed admittuntur sunt. Est vero notum, Quam mihi das ergo, dabis egrotare timentis.

IX. Tertium, Ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram. Non, inquit, propter simplicem tentationem, sed propter incontinentiam. Idem igitur apud Apostolum significat viti. quod incontinentia.

X. Quis negavit, inquam, vitionem esse incontinentiam? Sed non tentationem simplicem, id est, in secundo saltem gradu, nos negamus, ut prius.

XI. Quartum, Volo iuniores nubere? Quae causa? Non propter tentationem, sed propter incontinentiam: Nullam, inquit, dare occasionem aduersario maledicti causa. Etenim non possunt aduersarii maledicere Christianis ob occultas tentationes, sed ob manifesta flagitia. Vnde subiungitur, Iam enim quadam abiierunt post Satanam.

XII. Imo, ne maledicant, non significat, postquam maledixerint, sed antequam maledicant, ideo etiam, antequam manifesta fiant flagitia: ac proinde propter tentationem, a qua periculum est, ne fiant flagitia, propter quae aduersarii maledicant. Quod periculum manifestum sit ex iis quae abiierunt post Satanam. Quis enim sibi persuadere iussit Paulum, ut ne nuberet vlla, donec omnes abiissent post Satanam?

XIII. Quintum ab exemplo Apostoli: Paulus tentatus est stimulis carnis, nec tamen uxorem duxit: Ergo non suavit propter tentationes ducere uxorem. Ratio consequentia, quia ipse suo iudicio damnatus esset. Antecedens probat. Primum ex posterioris ad Corinthios duodecimo, Datus est mihi stimulus carnis meae, Angelus Satanae, qui me colaphizet: propter quod ter Dominum rogavi, ut auferretur a me. Nam haec verba de tentationibus veneris intelligi posse, indicant Theophylactus, Sedulius, Anselmus, Thomas: & est haec interpretatio recepta. Secundo, ex prior. ad Corinth. 9. Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo. Ad Roman. 7. Ego ipse mente seruo legi Dei, carne autem legi peccati. Et, Non quod volo bonum, hoc ago: sed quod nolo, malum. Et, Sentio aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meae. Quae verba & de Paulo, & de aliis iustis hominibus intelligenda sunt.

XIV. Respondeo, Tentationes intelligi, vel quascunque, vel peculiariter veneras, & has quidem secundi tertive gradus. Si quascunque, conceditur vniversum argumentum. Neque enim nos adeo insanimus vnquam, ut doceremus Paulum suauitate uxorem duci, ad vitandam tentationem vanae gloriae, vel avaritiae, vel irae, vel furci, & similia. Tentationibus etiam veneris, primi gradus, testatus est ipse Bellarminus ex Caluini sententia, non esse nec essarias nuptias. Sin autem tentationes sunt & venerae, & secundi tertive gradus: negamus antecedens. Nam Paulus ipse contradicit, qui, postquam iussit propter fornicationes vitandas, contrahendum esse coniugium: & melius id esse, quam viti: tamen dicit, Velim omnes homines esse vt ipse sum: id est, ut eis coniugium non esset necessarium. Nec nos quidem dubitamus, id in se admittendum, cuius aliis autor erat, si idem periculum fuisset.

XV. Probationes antecedentes nihil conficiunt. Nam qui loci citantur, non agunt de vereca tentatione: sed de tentationibus in genere. Res est in posterioribus locis adeo manifesta, vt ne verbo quidem Bellarminus poterit indicare: sed tantum affirmare ex Augustino & Lutero, & quae Paulus de se loquitur, ac de aliis: de quo soli Pelagiani olim: & Semipelagiani Papistae multi dubitarunt: pauci etiam, si forte, Catholici: sed nos certe constantissime tenemus: vt patet ex commentariis Caluini, Bezae, Marlorati, Bucceri, Gualteri, Oleuani, Farzi, aliorum: ne in re tam per-

spicua sum prolixior. Itaque hi loci, quibus tamen videbatur Bellarminus magis confidere, ne verisimiliter quidem arguant.

XVI. Ille ex posteriori ad Corinthios, saltem aliquos interpretes habuit, qui somnarent non nihil venereum. Quam tamen vanitatem videtur Bellarminus agnouisse, negans hunc locum conuincere: quod quidem fati esset. Verum addimus, ita sentisse recentissimos: nullum veterem. Anselmus timide indicauit, Vel tentando, vt quidam dicunt, per libidinem. In Theophylacto, verba a Bellarmino recitata, Vel quod satius est. Veneris incitamenta, quibus maxime urgebatur, expressi: miratus est Iunius non inuenisse in editione Luteriana Ioannis Loniceri, & Philippo Montano recentia. Sed habet editio Christophori Porfena Romani apud Ascensium, anno decimi sexti seculi trigesimo quarto. Suspecta fides est. itaque vellem dari Graecum exemplar. Sed quicunque hi tandem sint autores, Iustiniano Iesuita indice, temere loquuti sunt, idque parum cordate scripserunt, quod vix vlli docto Theologo probare possent.

XVII. Fuere qui corporis valetudini aduersum quid dixerent: alii κεφαλαιαγια, vt notant Theophylactus, & Oecumenius: Thomas dolorem iliacum. Alii persecutiones, & obstacula impiorum ministerio eius obiecta. Idem Theophylactus & Oecumenius, Τι ουδ εστι Σαταν ο αυτι κεμισθη ερεται τη ιεραδι φωνη αρχηλου η Σαταν ος αυτι κεμισθη οτι εγγυαλη φωνη. οισ τις αυτι Αλιζανδρον, Τυβαριον, Φιλητον. Quid est Satan aduersarius dicitur Hebraeorum lingua. Angelos Satana aduersarios predicationi dicit: exempli gratia, Alexandrum, Hymenam, Philotum. Sed illud de valetudine, iidem refutant, μη γδ εστι το σωμα Παυλου επιδεδωκ το σαταν. επιδεν αυτις ημν επιταξεν αυτα, ημν δε εσ ιπδεν, οτι τοι πορδου αυτη ιεραδιε: Absit enim, corpus Pauli fuisse traditum Satanae: quandoquidem ipse ei imperauit, limitesque praescripsit, cum ei incestuosum tradidit. Nescio, quam forti argumento.

XVIII. Nos malumus nihil peculiariter definire: sed, vt ex Caluino & aliis Marloratus descripsit: Praestet hoc vocabulo comprehendere omne tentationum genus, quo Paulus exercebatur. Nam caro hic non corpus, sed partem animam nondum regeneratam significat: Vt sit sensus: Mihi datus est stimulus, quo caro mea pungere tur: neque enim adhuc sum adeo spiritualis, quin obnoxius sim tentationibus secundum carnem. Neque aliter exponunt quicunque veterum, qui vel concupiscentias carnis dixerunt, vel legem in membris legitimentis oppositam, vel tentationes, vel quid simile.

XIX. Nam quod, vt ad Venerem detorqueat, ex Augustini concione secunda in Psalmum 58. notat stimulum carnis aliquid significare, quod vt verecundiam & pudorem adferat, & quod nemo de tanto Apostolo dicere ausus fuisset, nisi ipse confiteri non erubisset: addens id suadere metaphoram colaphi, qui non tam ledat carnem, quam pudorem inicit animo: Id vero inane est. Non dixit Augustinus, pudendum fuisse, cuius Paulum penderet. Verba sunt, Ne magnitudine, inquit reuelationum extollar, datus est mihi stimulus carnis meae, angelus Satanae, qui me colaphizet: propter quod ter Dominum rogavi, & dixi mihi, Sufficit tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate perficitur. Videte quae sunt consummationes. Apostolus doctor Gentium, pater fidelium per Euangelium, accepit stimulum carnis a quo colaphizaretur. Quis nostrum hoc dicere audeat, nisi ille confiteri non erubesceret? Hic quarto quid pro se Bellarminus habuerit? Nam ego quidem videre non possum. An illud, nisi ille confiteri non erubesceret? Agregia consequentia: Ergo fuit ei erubescendum. Imo alibi, Non me pudet Euangelij: Ergo ne eum pudere debuit Euangelij? An illud, Quis nostrum dicere audeat? Sea id non pertinet ad ipsum stimulum, sed ad causam stimuli: vt sensus sit, quis audeat dicere datum stimulum Paulo, vt colaphizaretur, ne extolleretur magnitudine reuelationum? Nimirum, quia nec solent pii, nec debent facie de sanctis sinistras susceptiones concipere. Ad quod si referas etiam illud, non erubesceret: nihil incommodi est, si dicamus etiam erubescendi causam fuisse Paulo: quia non potest infirmitas vitiosa esse sine pudore. De colapho inepta est λεπολογια: nam nec metaphorae vndeunque sumuntur: & colaphos, esse magis ad pudorem incutiendum, quam ad ledendam carnem, primus omnium Bellarminus dixit. Est enim genus κολαστης: leuissimum quidem illud: sed tamen proprie correctio peccati, potius quam pudor. Quanquam nihil id ad rem.

XX. Sextum Bellarmino argumentum a testibus, Clemente Alexandrino Stromat. 3. Ambrosio, Hieronymo, Augustino, Chrysofomo, Theodoro, Thoma.

XXI. Sed Ambrosium, Augustinum, Chrysofomum, Theodorum, paulo post viderimus, cum citabimus pro nostra sententia. Hieronymi nullum momentum. Nam cur in eo moueant nos haec, ardorem libidinis non tam continentia volunt, quam fornicatione restringere; quae aliis plurius experimentis scimus, quam se in hoc argumento exhibuerit & violentum, & acerbum Scripturarum tortorem? Credat hoc illi, qui credat, idem esse Paulo, bonum est mulierem non tangere, quod, malum est tangere. Itaque hoc sane, quantumcunque aut fit, aut fuerit nomen, seponatur: neque nos teneri putemus, vel magnorum virorum peccatis.

XXII. In Clemente Alexandrino, quid est? Nempe, inquit, Basilidianis tribuit eam explicationem, quam nunc aduersarii amplectuntur. Quam explicationem, inquam? Illamne, quae asserat, ob compescendas tentationes veneras, ducendam esse uxorem legitimam? Monstrum hominis! qui vel tam stupidus est in legendo, vel tam desperatus in calumniando. Nam Clemens Basilidianos arguit, quod ardorem libidinis fornicatione restringerent, vt verbis vtar Hieronymi. Id enim haec significant, Ne in ignem conicito animam tuam, nocte dieque resistens, & timens ne a continentia excidas: occupata enim resistendo anima ab spe abstrahitur, Απραξ τινωσ μαχησις γυναικος, apprehende igitur robustam mulierem, ne abdicaris a gratia Dei: & cum ignem in semine excreueris, διασπαρασσουσ, cum bona orabis conscientia. Quasi diceret, non esse quod quis laborer compescendis libidinibus: quae explendo potius minuuntur. Itaque qui se sentiet viti, ne cunctetur in promiscuos amplexus ruere: nam ita sedato igni, post orabit quietius. Imo post, otiose uxorem duceret, οταν η δολωσις εσθ, φησιν, ος αυτην υποπισθη, η εση το λειπον, ου κολοδωσαι, αλλα μη σφραλισω.

Spiritus Sancti? Sed, inquit, id Chryostomus annotauit. Vbi inquam? Nam *ita qd non dicitur nomine spiritus sancti sed dicitur in nomine spiritus sancti*: alio pertinet: non ad hoc, quo de agimus. Deinde non significat nusquam legem esse, ubi sit ratio: sed ipsam rationem additam ostendere non dari legem.

XXXVIII. Rursus, ratio non concludit, necessarium esse matrimonium. Quorsum hoc? Nam re nos quidem dicimus. Die strictius: necessarium matrimonium iis, qui non habent donum continentia: & ad rem dixeris. Hoc ergo cur non concludat ratio? Quia datur tertium membrum. Quibus, inquam, datur? In fine, quibus non est continentia donum? Hoc negat Paulus. Et Bellarminus contradictionem implicat. Nam, continere, & non continere, sunt opposita. Enigatur acumen Paulus, si non continent, melius est nubere, quam vri. Bellarminus, si non continent, melius est continere, quam nubere, *Spectatum admissi, risum tenentis amici.*

XXXIX. Argumentatur iterum. Sicut Apostolus dixit, *Qui non se continent, nubant*: ita dixit: *Iterum reuertimini in id ipsum.* At his verbis, nihil imperauit, sed solum permisit, *Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium.* Igitur ne illis quidem.

XL. Respondeo, etiam posterius esse legem: etsi aliter visum sit Chryostomo. Neque illud secundum indulgentiam, eo pertinet: sed alius, nempe ad illud, *Vnusquisque uxorem habeat.* Teste Thoma, *Primo instruit eos, qui non sunt matrimonio iuncti, utrum scilicet debeant matrimonium contrahere. Secundo manifestat quod dixerat. Ibi, Hoc autem dico.* Et tamen si eo pertineret, nulla consequentia est. Quia supponenda distinctio, continentia, & incontinentia. Non imperium est, sed indulgentia: quia iis qui continent, non est necessaria vxor: ne necessarius quidem reditus in idem. Sed iis necessaria tamen, qui non continent. Itaque dissimilia comparantur.

XLI. Argumentatur tertio, in illis, *Vnusquisque uxorem suam habeat,* nullum esse preceptum. Nam loquitur de iis, aut qui iam uxores duxerunt, aut qui non duxerunt. Si de illis, ut vult Hieronymus i. in Iouinianum: quia sequitur, *Dico autem inuuptis, & viduis, Bonum est si sic permanserint*: tunc sensus est, teneat etiam quoad thorum, sed iuxta indulgentiam, non imperium. Si de aliis: ergo idem est, cum eo, *Qui non se continent, nubant.* Et hoc iam ostensum permissionem, non legem sonare.

XLII. Nihil futilius: Primo, loquitur Apostolus de iis qui uxorem non habebant. Id expressit paulo ante Thomas. *Instruit eos, qui non sunt matrimonio iuncti.* Similiter Lyranus, *Primo, instruit de matrimonio contrahendo: secundo, de ipso non dissoluit.* Et vero contextus est manifestus. Nam statim subiicitur preceptum de debito reddendo: frustra, si precedentium sensus esset, retinendum coniugem quoad thorum: nam ea exhibitio est debita. Hieronymi, hac in controuersia, leuiuscula est auctoritas: adeo perpetuo inclinari in partes aduersas matrimonio. Et tamen demum iam coniugatos intelligi: quid inde? Nihil sane praeter foedam petitionem principii. Nam de indulgentia, tractatum est. Sed quid si non dum coniugati? Rursus peritio principii. Ostensum est, inquit, permissionem sonare. Non ut ille, sic nos dicta repetimus.

XLIII. Argumentatur quarto: Si vllum esset preceptum, maxime esset in iis verbis, *Volo iuniores nubere.* At hic nullum. Ergo, neque alibi. Probatur assumptum. Primo, quia pugnat secum Paulus, qui dixit, *Volo omnes esse sicut meipsum,* id est, continentes: quasi diceret, *Volo omnes continere, nolo omnes continere.* At non contradicit sibi. Ergo vnum optat absolute omnes continere: aliter permittit, cedens infirmitati. Præterea, si *Volo iuniores nubere,* sit preceptum: ergo etiam preceptum est, *Filios procreare, matres familias esse.* At hoc non est preceptum: ego neque illud.

XLIV. Respondeo, primo negari consequentiam. Nam, ut sint precepta siue non sint, in ea ad Corinthios, nullo modo pender ab ea ad Timotheum, aut contra. Quare, etsi demonstret Bellarminus, in alterutra nullo esse precepti vestigium: tamen non obrineret in alia. Secundo negatur assumptum. Est enim preceptum quoddam, non absolutum illud quidem, & vniuersale, siue absque exceptione: sed ex hypothesi, ut diximus. Thomas appellat documentum, *Ostendit, inquit, cui operi sint applicanda.* Et proponit primo documentum, secundo assignat rationem.

XLV. Ad primam probationem respondeo, non pugnat secum Apostolum. Quia, *Volo omnes esse sicut meipsum,* nullam est preceptum, ipsis Papistis consentientibus, sed desiderium potius, siue votum. Vnde a Thoma comparatur cum illo Act. 6. *Opto apud Deum omnes, qui audiuissent fieri tales, qualis ego sum.* Atqui optare, & præcipere, non sunt opposita, etiam si in oppositis obiectis. Optat medicus integrum esse corpus ægri, & tamen sectionem imperat. Nimirum, quia votum fertur in rem absolute: preceptum autem ex hypothesi. Quia non potest æger alio modo saluus esse. Similiter Paulus, velle omnes esse sicut se: sed, quia periculum est incontinentia, præcipit viduas nubere.

XLVI. Ad alteram probationem. Quid est absurdi, quo minus preceptum sit, *Filios procreare, matres familias esse?* Nam quis nescit *τεκνογονειν*, frequentissimum pro liberis operam dare? Enimvero, si actum designaret, tum non tantum non preceptum esset, sed ne consilium quidem. Consilia non sunt terrena, quae in nostra potestate sunt: & actualis procreatio non est in potestate nostra. Non negant autem aduersarii esse consilium. Quare necesse est non intelligi de actuali procreatione. Quomodo certe æque preceptum utrumque est: & illud, inquam, *τεκνογονειν*, & hoc *τεκνογονειν*. Nam de matrefamilias, quid opus est dicere? Notum enim omnem legitime coniunctam viro mulierem, esse matrefamilias, etsi nulli ad sint liberi. Itaque quicumque iubet eam nubere, idem iubet esse matrefamilias.

XLVII. Postremo, testes adducat ex antiquis, Theodoretum, Chryostomum, Ambrosium, Hieronymum, Augustinum.

XLVIII. Ex iis, Hieronymus cuiusmodi fuit, vt quid senserit, in hoc argumento, susque deque esse debeat. Iniquus matrimonio: iniquior secundis nuptiis: ac prope Tertullianista: nam ab hoc etiam argumenta: etiam verba mutuatur. Hoc loco, *Vult Apostolus, inquit, alterum matrimonium, cum ait, Volo iuniores nubere, præferens digamiam fornicationi, secundum indulgentiam duntaxat, non secundum imperium.* Ignolcat, quantum quantum fuit: non obtinebit præferri a Paulo secundas nuptias fornicationi secundum indulgentiam. Ferrem, si dixisset, non propositas fuisse viduis secundum indulgentiam. Ferrem, si dixisset, non propositas fuisse viduis secundum indulgentiam.

Tom. III.

dum legem: potest enim bono sensu dici. Sed prælatas fornicationi, non nisi secundum indulgentiam, nimis est a Montano.

XLIX. De Theodoro, dixi paulo prius: suspectam esse interpretis fidem: nec mihi facile satisfieri posse, si non dentur Græca. Et tamen, *Nulla, inquit, lex prohibet.* Quid tum? An quod nulla lex prohibet, nulla etiam lex imperat? Nos contra censemus, aliquid quod nulla lex prohibeat, posse aliqua lege, saltem particulari, fieri necessarium.

L. Chryostomus paulo aliter habet Græce, quam Latine expressum sit ab Interprete Bellarminiano, *Αδ' επιταξει γαμοι, οτι ε κεκλυται, Αλλ' ουκ εστιν επιταξει γαμοι, οτι ε κεκλυται, Αλλ' ουκ εστιν επιταξει γαμοι, οτι ε κεκλυται.* *Abste, sed ne prohibet quidem.* Non sic ego. Imo vereor, ne locus non sit menda vacuus. Græca Syntaxis videretur hiulca: & si aliud nihil, certe praua interpunctione laborare. Sic fortasse melius: *Υνοσπιτιου? Τις ενικον σον ειπε, επειδη χηρα η ζυγαρις; ποδης αυτας επιταξει, Αδ' επιταξει γαμοι, οτι ε κεκλυται, οτι ε κεκλυται.* *Cur non dixit, Quoniam viduas exciderunt, magna oportet illas cura tractari, ne illa, que dixi patiuntur: Sed nuptias imperauit? Quia prohibita non fuerunt. Quæ emendatio facilis, nihil duri relinquit, nihil hiulci. Sed directe est contra Bellarminum: Imperatas fuisse a Paulois viduis nuptias. Et confirmatur sequentibus. Nam interpositis duntaxat Pauli verbis post, *καλυει τεινω, inquit, τις χηρας τις τεινω, Prohibet ergo, has tales viduas.* Si prohibet has viduas: omnino imperat nubere.*

LI. Ambrosius de Viduis, *Non puto, quod iuniores renocandas putarit a viduitatis affectu, maxime cum dixerit, Melius est nubere quam vri. Nam vti que pro remedio nuptias suasit, ut peritura sanetur: non pro electione prescripsit, casta & continens, quod sequatur.* Augustinus c. 8. de Bono viduitatis, *Quid dicit? Volo iuniores nubere, nuptiarum bonum Apostolica sobrietate, & auctoritate commendat, non procreandi officium etiam eis, quæ continentia bonum capiunt, tanquam ad obsequium legis imponit.* Et post, *Idem dixerunt de illo loco, qui non se continent, nubant: nimirum remedium ostendit, non legem figit.* In his, quid Bellarminus habeat sui, non video. Manifestum enim est, non negare legem dari viduis incontinentibus: sed peculiariter non imponi eis, quæ continentia bonum capiunt. Nimirum sensus est à Paulo non figi hanc legem. Omnes viduæ nubunt: quod & nos fatemur: Sed multa arte Bellarmino opus erit, ut persuadeat, si continentibus non imperetur, ideo ne incontinentibus quicquam mandari: quod nobis quidem satis est.

LII. Tertia superest Bellarmini solutio, breuior illa quidem reliquis, sed furiosior, *Dico, inquit, ista omnia siue permissionem sonent, siue preceptum, pertinere solum ad homines liberos: non autem ad eos, qui votis iam obligati sunt.* Hoc probat: Primo, quia, ei, quæ sic vouit, utrumque malum, tum nubere, tum vri: imo maius malum nubere, quam vri. Nam vstio, vel tentationem solum significat, vel fornicationem. Si tentationem: quæ eam patitur non peccat: peccat autem, si nubat contra votum. Sin autem fornicationem: tum peccat illa quidem, sed tantum contra temperantiam, & contra votum: at quæ nubit, peccat contra temperantiam, & contra votum, & contra coniugium, cuius sub nomine tegit perpetuum sacrilegium. Secundo, quia non pertinent Pauli verba ad eos, qui coniugibus suis vti non possunt, etiam si grauissime vrantur: his enim nunquam dicendum, melius esse nubere quam vri: sed potius ut seruent fidem datam coniugi. Tertio adhibet testes. Ambrosium, Hieronymum, Augustinum, Chryostomum, Gregorium.

LIII. Ego contra. Primo, perinde esse nobis: dum de iis Paulus sit loquutus, qui sunt liberi, id est, votum continentia non conceperint. Nam cetero sequitur, neminem debere vouere. Nemo enim est eorum, qui vel diutissime Monachi fuerunt, qui non aliquando non fuerit Monachus, ac tum cum non erat, non fuerit liber. Quare si Apostolus omnibus nondum deuotis necessariis esse docet nuptias, propter fornicationem. Ergo idem omnibus auctor est, ne votum emittant continentia: & si emittant, nos merito pronunciamus reos temeritatis.

LIV. Secundo, nos contra asserimus, Paulum loqui de omnibus absque exceptione, qui, quæ non habent donum continentia. Patet, ex ipsa phrasi, *Vnusquisque propter fornicationem habeat uxorem suam.* Si continere non possunt, nubant. Nihil enim distingui, manifestum est. Nam exceptio nulla est præter vnicam: quod aduertendum. Axioma esset vniuersale, *Vnusquisque uxorem suam habeat.* Sed id nullum est apud Paulum: verum aliud contractus: Omnis non continens habeat uxorem. Quod argumento est, non esse inconsiderate loquutum Apostolum: sed rem perpendiculariter consideratis circumstantiis: Quod si adhuc distinguendum fuit, certe vix excusari poterit vas illud electum, leuiusculæ inconsiderationis. Tum autem: vnde contractio noua? Nam, si sufficit curiositas humana: abibimus in infinitum, & exceptiones, distinctionesque cumulabuntur: quod vel Sophista um exemplo sit manifestum. Nam cum deuotos distinxerunt à liberis: tum rursus deuotorum vota distrahunt in priuata, & solennia. Scilicet ipsa seipsam nunquam compescet sophistice. Atqui Apostolorum tempore, inaudita erat distinctio votorum in priuata, & solennia. Apostolorum etiam tempore inaudita votum continentia perpetua. Posteritas tanto sequior, quanto ferior, utrumque est commenta: & ex suis commentis, præscriptum voluit Apostolica prudentia, quasi non satis prudenti.

LV. Ei, quæ sic vouit, utrumque esse malum, & nubere & vri, nunquam dixit Apostolus. Maius malum nubere, blasphemauit spiritus Papisticus: de quo iam actum cap. 6. libri 16. Quæ tentationem, inquit, patitur, non peccat. Papistice. Nam apud Papistas, concupiscentia quantumuis mala, nullum peccatum est: quam nos insaniam suo loco refutauimus. Quamquam vstio, non simplicem tentationem significet, sed vehementem, & illam, quam nos secundo gradu posuimus. Est autem id peccatum, si minus contra votum, at certe contra continentiam: quæ significat non corporis oppositi motus in venerem prauum, quam bonæ corporis valetudini humores peccantes, à quibus tandem symptomata morborum. Crediderim facile, non esse peccatum contra votum: quia Papisticis votis veræ virtutis *αδ' επιταξει γαμοι*: sed pro virtute spectrum virtutis obiectum est.

LVI. Peccat, inquit, quæ fornicatur contra continentiam, & contra votum tantum: at quæ nubit, contra continentiam, contra votum, & contra ma-

tra matrimonium. Imo contra continentiam peccare, quæ nubit, falsum. Nam matrimonium species est continentia: quatenus scilicet continentia virtus est. Continentia autem non potest contra continentiam peccare: alioquin virtutes essent virtutibus oppositæ. Sed peccare in matrimonium eam, quæ nubit, est Papisticum, de quo actum alias.

LVII. Non pertinere Pauli verba ad eos, qui coniugibus uti non possunt, concedo: nam si nubere omnino non possunt: sed tantam adulterium committere. Atqui nunquam dictum Paulo, melius esse adulterium committere, quam uti. Sed Scriptura duorum malorum, quæ quidem mala sint culpæ, optionem nunquam dedit. Concedo ergo, Apostolum non dixisse ea verba omnibus qui vruntur: sed solum iis, qui liberi sunt ac soluti: nisi quod non satis Sophista dixit, ut falleret æquiuocatione: alia enim libertas est à matrimonio, alia à voto. Expediet, qui dixerit usum esse ad omnes, qui liberi sunt à matrimonio. Nam in non liberis à voto, non eadem ratio est: quia matrimonium contractum legitimum est impedimentum: votum autem illegitimum: & à sola superstitione cogitatum. Itaque non valet illud, *Si ligati censentur ii, qui fidem coniugi dederunt, cur non ii, qui dederunt Deo?* Nam fides non obligatur ex sola promissione, nisi accedat sponsio: sic non obligari quisquam dicitur coniugi, nisi cuius coniux accipit fidem: cum alioquin nullum sit coniugium. In hac vero superstitione deuotione, nihil constat præter temeritatem, vouentis. Imo contra constat non respondere Deum, eo ipso quod non largitur donum continentia.

LVIII. Testimonia supersunt Veterum, quibus haud aliter respondeo, quam cessurum me, si ratione vincant. Sed certe contra tam disertam Apostoli verba, leuiuscula autoritas est. Peccari ab iis quæ uouerint, si nubant; haud inuitus concesserim: nempe, non, quia nubant, sed, quia contra votum. Non esse tamen melius iis etiam nubere, quam uti, tyrannus coegerit, potiusquam ratio persuaserit. Nec mihi quisquam obiiciat peccatorum non dari optionem: nam tum nego optari peccatum minus. sed assumi, remedium contra votum. Nam votum, si legitimum, uouit habitum potius continentia. Itaque, qui vruntur, violans habitum, violat etiam votum: ideo peccat. Hoc ut ne faciat incontinentens, coniugium contrahit, itaque non peccat: sed temeritatem suam confitetur, & emendat. Sed id paulo post.

C A P. XX.

De Consiliis.

HActenus tria illa essentialia vota. Nunc ipsa professio Votorum disputabitur duobus capitibus. Primum, Origo examinabitur, quæ à Papistis assignatur: deinde abusus grauiissimi, quibus illa professio laborat. Originem assignant geminam, priorem à Consiliis Euangelicis, ita enim appellant: alteram ab exemplis illustribus.

II. Consilium Bellarminus definiuit, opus bonum à Christo non imperatum, demonstratum, non mandatum, sed commendatum, Alphonsus de Castro, hæresi 2. de Præcepto: adhortationem quandam ad bonum, cuius obedientia laudabilis sit, transgressio uero inculpabilis. Hæc, quid sibi uelint, sit clarius ex oppositione præcepti: quod Alphonsus definiuit, legem, siue regulam, quæ obliget omnes, quibus datur ad aliquid agendum, vel omittendum: ita ut, qui non obediuerit, damnationis æternæ sententiam à iusto iudice auditurus sit. Differre Consilium à Præcepto, Bellarminus admonuit, & Platus, cap. 10. libri 2. materia, subiecto, forma, fine. Materiam Consilii difficiliorem esse, præcepti faciliorem: utpote hanc ex principiis naturæ, illam supra naturam: tum hanc bonam, illam meliorem & perfectiorem. Subiectum præcepti, commune omnium: non Consilii. Formam præcepti, ut sua obligare: at Consilii in arbitrio cuiusque esse positam. Finem, siue effectum, præcepti esse, obseruantiam præmium, negligenti pœnam: at Consilii, obseruantiam, maius præmium, negligenti, nullam pœnam.

III. Quibus positis, tum secuti vota concludunt, prætextu perfectionis, quasi reliquis promiscuisque Christianis, omnibus imperfectis, humique serpentibus, quandiu occupantur duntaxat in obedientia præceptorum: iis uero, qui toti sunt in his Consiliis, surrigentibus sese longe lateque altius: atque adeo aquilarum instar, nubium altissima petentibus, imo cælos ipsos audaci, generosaque uolentia rapiuntibus: atque ita perfectissimam vitam exercentibus: minutulisque illis præmium quilibet illis, quæ in remissione peccatorum, ademptione gratiæ, fruitione uitæ æternæ, procul à tergo, imo sub pedibus relictis, quasi dignis, quæ catellos sub mensa pascant, maiora illa affectantibus, quæ aureolarum nomine placuit eius Cabalæ magistris indigetare.

IV. At nos ab Euangelicis docti, non ἀεροβατεῖν, non ἀψυλλοφρονεῖν, longe demissius de perfectione Christiana sentimus. Nullum esse in hac uita statum perfectæ Christianitatis: sed tantum in futura, ubi Deus futurus est omnia in omnibus. In hac peregrinatione, posse alios alius esse perfectiores, uel potius, & magis proprie, plus minusue imperfectos: prout, nimirum erunt perfectus in amore Dei, & proximi: quibus capitibus duobus continetur quicquid perfectionis cuiquam proponi queat. Singulis Christianis pro scopo propositam perfectionem, quam affectent toto animo & in eam ferantur (Post. ad Corinth. 13. καταρτιζέσθε, perficimini) sibi ipsis renuntiantes magis ac magis, omnibusque mundi concupiscentiis: ut uere pius, religiosusque habitus induatur, unde singula bona sponste fluant.

V. Opera bona esse, uel per se, & suo genere, uel per accidens. Illa semper sibi constare, neque unquam non bona esse. Ista uero variare, & alias bona esse, alias mala, alias neutra.

VI. Præcepta, alia uniuersalia esse: alia specialia: alia etiam priuata. Prima, uniuersos homines absque ulla exceptione, aut distinctione obligare: sic iubentur omnes amare Deum, amare proximum: sic non colere alienos deos: non furari, non scortari, non mentiri, & similia.

VII. Quæ in secundo sunt ordine, variis circumstantiis terminantur: tum aliis forte, tum maxime personarum & temporum. Personæ diuersæ

sunt, Pater, filius, maritus, uxor, magistratus, ciuis, pastor, laicus, & si quæ sunt alia. Quis enim ignorat alia aliarum personarum esse officia? Paulus testis, Ad Ephes. 6. *Liberi, audite in Domino parentibus uestris: & uos patres ne prouocate ad iram liberos uestros. Quinto, Uxores, propriis uiris subiicite uos ut Domino. Viri, diligite uxores uestras. Sexto, Serui audite iis, qui uestri domini sunt secundum carnem, cum timore ac tremore. Vos domini, eadem facite erga illos, remissis minis.*

VIII. Tæpora infinitis modis variantur. Ecclesiast. 3. *Omnia tempus habent, & suis spatiis trāsseunt uniuersa sub cælo: tæpus nascendi, & tempus moriendi: tempus plantandi, & tæpus euellendi quod plantatum est, tempus occidendi, tempus sanandi.* Hinc operum plurima diuersitas. Nam, etsi semper charitate plenos oporteat esse Christianos, tamen non semper opera, quæ charitas imperat, exseruntur: quia, nimirum non concurrunt semper, aut obiectum, aut facultas. Sic non succurrunt semper inopi: siue, quia inopes sese non offerunt, siue, quia opes desunt. Sic paratos semper oportet esse Christianos ad animas pro Christo impendendas: & tamen non omnes Christiani fiunt martyres: Deo plerumque cohibente tyrannorum rabiem.

IX. Præcepta autem priuata sunt, quæ indiuiduis personis imponuntur, & de rebus indiuiduis. Sic Noacho præceptum priuatum fuit. Genes. 6. *Fac tibi arcam.* Abrahamo, Genes. 12. *Egrede de terra tua.* Et 20. *Et ecce ancillam hanc, & filium eius.* Et 22. *Tolle filium tuum unigenitum, quem diligis, Isaac.* Et alia plurima.

X. His politis, dicimus, quæ opera, non nisi per accidens bona sunt, iudicanda ex causis propter quas bona sunt. Et primum quidem ex circumstantiis: ita enim accidit non raro, ut absque iis impleri non possint opera illa, quæ per se, & suo genere bona sunt. Nam, exempli gratia, etsi dare potum aquæ frigidæ, opus sit indifferens: tamen, in Scripturis, Christus seuerissime reprehendit, qui non dedit indigenti. Et, quamuis adeo non fuerit necesse singulos Apostolos ire in uniuersum orbem: ut Iacobus non excefferit ex Iudæa: tamen reliquos oportuit varie peregrinari: & si non essent peregrinati, peccaturi erant in suum officium, quod non poterat impleri, si omnes domi mansissent.

XI. Secundo, eadem iudicari oportet ex priuato præcepto. Nam, etsi res ipsa per se considerata, libere possit & omitti, & usurpari: tamen, si accedat priuatum mandatum, non poterit sine crimine alterutrum. Sic 1. Samuel. 15. quia iussus erat Saul pugnare contra Amalecitas ad interuentionem, cum non obtemperasset, reiectus est. Prioris Reg. 20. *Vir quidam de filiis Prophetarum, dixit ad socium suum in sermone Domini, Percute me: At ille noluit percutere. Cui ait, Quia noluisi audire uocem Domini, ecce recedes à me, & percutiet te leo. Cumque paululum recessisset ab eo, inuenit eum leo, & percussit.*

XII. Sed, quæ opera bona sunt primi generis, ea nos sub consilium negamus cadere: quomodo Papistis definitum consilium est. Imo latius, nullum esse in toto Euangelio consilium.

XIII. Quod si consilia definiunt opera non mala, quæ permittantur arbitrio cuiusque: non negemus sane esse quædam. Sic enim Paulum Timotheo consulere, ut uino modico uteretur: sic dicere Corinthiis, eum, qui uirginem suam det nuptui, non peccare: & melius facere si non det. Sed huius generis, quæ consilia sunt, ut pernam nullam neglecta, sic neque obseruata præmium uelum dicimus habere in cælis.

XIV. Post autem, ut daremus esse consilia, quædam huius generis, negamus tamen inde stabili uota, maxime perpetua. Nam temporalia, non inuiti interdum concesserimus in iis operibus, quæ per accidens bona sint: ut qui ad comprimendos carnis inordinatos motus, uide sibi uidet ieiunium, uoueat se certo ieiunaturum tempore, dum scilicet id obtinuerit, quod contendit. Sed & Paulus, cum uidit uilius fore sibi prædicaturo inter Corinthios, uouit propriis se sibi manibus victum paraturum: non uero in uniuersum apud omnes, aut semper.

C A P. XXI.

Pro Consiliis argumenta Papistica.

ESSe Consilia quædam, ea notione, quæ definita est, Bellarminus probat his argumentis. Primo, ex Esaiæ 56. *Non dicat Eunuchus, Ego lignum aridum. Quia hoc dicit Dominus, qui custodierint Sabbata mea, & elegerint, quæ ego uolui, & serauerint fœdus meum: dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius à filiis & filiabus: nomen æternum dabo eis, quod non peribit.* Hic agi probat de Consilio continentia, à definitione Consilii: ut sit argumentum: Omne opus uoluntarium, cui promittitur peculiaris merces, est Consilium: At hæc continentia, de qua loquitur Esaias, est eiusmodi. Ergo Consilium. Probat assumptum: Primo, esse continentiam: quia Eunuchi sunt continentes. Et uoluntarii: quia Eunuchi, uel necessarii sunt, uel uoluntarii. Esse necessarios negat Hieronymus, & Cyrillus, Commentario in ea uerba. Et Augustinus, c. 24. de Sancta uirginitate: & Basilius de Vera uirginitate: Ambrosius Exhortatione ad uirgines: Gregorius 3. part. Pastoralis c. 29. Præterea, nulla ratio est, cur abscessis, nativæ Eunuchis promittatur maior gloria, quam sit filiorum & filiarum Dei, siue quam sit habere filios & filias. Denique, si essent coacti: tamen à minori ad maius: si his promittitur gloria: multo magis uoluntariis.

II. Secundo, continentiam hanc non imperari, sed consili, probat, tum iisdem autoribus: tum ex uerbis, qui elegerint, quæ ego uolui. Nam illi dicuntur eligere, qui non coguntur uho præcepto: itaque sensus est, qui transcendentem ea, quæ præcepti accommodans me humanæ imbecillitati, sponte sua elegerint perfectiora, quæ ego cupio, & uellem. Rursum probat, quia non Eunuchi, etsi postponantur Eunuchis, tamen non excluduntur è regno cælorum, imo sibi & filiæ uocantur.

III. Tertio, continentiam hanc esse meritoriam gloriæ singularis, probat ab his uerbis, *Nomen æternum dabo eis, quod non peribit.* Quæ sic exponuntur ab Augustino: in de Sancta uirginitate cap. 25. *Quid tergiverbis impia cecitas? quid temporalem tantummodo utilitatem promittis continentibus Sanctis?*

an pollueret: sed idololatriam tamen expressit שמות את לקראת הוהוה לקראת שמות העצבים בשמו של לעשותו על לקרותו אלוהות הארובות שמות העצבים בשמו של. *Tum pollutum est, vel tunc coepit vocari nomina hominum, & nomina statuarum nomine Dei, ut inde fieret idololatria, & appellarentur Dii. Kimchi in radicibus שמו אור עברה וזהו קראת את הוהוה ופירשו כי ימי אנוש. Significat, tempore Enos deerrant ad idololatriam: & invocatio nominis Dei tunc pollutum est, & sensus est, tunc coepisse homines vocare nomina idolorum & statuarum nomine Dei. Hæc igitur sententia fuit Iudæorum.*

VIII. Verum Christiani animadvertunt primo duram esse constructionem, assumpta pollutendi significatione: deinde si initium mali, non videri Scripturam ut in malam partem phrafi illa לקראת הוהוה במם: Itaque maluerunt ad verbum, *Coepit invocari non, en Dei.* Memini tamen eruditissimum virum felicis memoria Bonaventuram Cornelium Bertrammum, meum in lingua sancta præceptorem, eo inclinare potius, ut verteret, *Et coepit vocari de nomine Dei: ut sensus esset, tunc cum degenerasset mirum in modum pietas, initium habuisse schisma ut à religionis professione separarentur alij ab alijs, & partes facerent, nominibus etiam distinctas.* Unde esse illud postea c. 6. *Videntes Filij Dei, filias hominum: nempe quia relicto nomine filiorum hominis, quo alioquin omnes homines solent designari: hoc, in qua, relicto prophanis, & qui vestigia Cain sectarentur: nomen filiorum Dei eos designaret, qui fidem Abels & Sethi mallent imitari. Et vero ita annotavit Procopius.*

IX. Verum tamen plerique omnes malunt invocationem nominis divini. *Id est, coeperunt homines invocare Dominum, hoc est, coepit restitui verus Dei cultus, qui propter impietatis diluivum fere interierat.* Invocandi enim verbum generaliter comprehenditur totum Dei cultum. Mercerus, *Intellige deformatam fuisse Domini Ecclesiam per Caini sobolem, ubi nullus esset aut internus, aut externus Dei cultus, nisi forsitan ore tenus: ita ut Ecclesia facies in Cainica sobole nulla esset: aut Dei invocatio, nunc cum ipsi Seth filius Enos esset natus, & aueta proles, reformatam coisse Ecclesiam cum primis parentibus: tum coepisse etiam externe Deum coli, & publice in ea familia, qua formam haberet Ecclesia Dei, invocari.* Quæ sententia est etiam Caluini, & Lutheri.

X. Quid hinc habent, quæso, Votarij, quod sibi tribuant? Audiamus Valdense: nam Bellarminus ipse indignatus explicare, hunc potius indicavit. *Coepit invocare nomen Domini, id est, incipit colere nomen Domini, & deprecari Deum secundum glossam. Et hoc non simplici cultu vulgi: quia Abel prius colebat Deum & deprecabatur eum acceptabiliter in principio capituli. Aliquem ergo specialem cultum invenit, qui prius non exercebatur à Patribus. Quod sicut dixit Andreas, & cum eo doctor de Lyra, filius eius Enoch instructus à patre suo tantum profecit in divino cultu, quod adinvenit quædam verba deuota ad deprecandum Deum. Satin hoc fuit? Imo ut purum putum Monachum videas, in Enoso. Duo sunt principia religionis peculiaris: vnum positivum: contemplatio divinorum: alterum prohibitivum, continens essentialiter tria vota, obedientiam, paupertatem, continentiam: quæ etsi nunc omnia requirantur in omni religione perfecta: tamen non omnia olim, dum religio infans esset, sed quædam tantum, interdum vnum. Porro doctor de Lyra dicit filios Seth, quia erant continentes & religiosi, ideo tarde coepisse degenerare. Ergo, inquit, filij Sed habebant affectum continendi, si tempus permitteret. Et hæc satis potest convincere fuisse religiosos peculiare tunc temporis, saltem in comparatione ad vulgus bene viventium, puta Abel, & alios.*

XI. Hæc summa mystica disputationis: cuius autorem merito maluit laudare Iesuita, quam analysin representare. Retexamus nos. Coepit Enos colere. Imo hoc est, quod dicunt *דנין ירושלים* & magister. Nam de Enos peculiare nihil est annotatum: sed in commune: Coepit invocari, id est, coli Deum. Nimirum, ut Act. 17. *Factum est ut annuum totum convenirent in Ecclesiam, docerentque turbam multam, & discipuli nominarentur primum Antiochia Christiani:* non denotatur aliquod genus discipulorum, separatorem à reliquis, sed initium potius denominationis, quæ ad omnes pertineret. Ita hoc loco initium invocationis, qua vterentur, non vnius Enos iuratus in certa verba quæ alios arcerent, sed omnes omnino, qui vere Deum invocarent.

XII. Rursus Colere, non simplici cultu vulgi Esto sane inquam: sed quo argumento? Quia coluerant Abel, & Seth. Facile. Sed quid tibi mentis fuit, mi homo, qui Abelem ac Sethum Patriarchas, & tantos, tam sanctos Patriarchas numeratis in vulgo? qui Abels, qui Sethi pietatem nullam nisi vulgarem agnoueris? Ast ego vulgus, existimem dici potius, eam hominum multitudinem, quæ degeneraverat a religione Patriarcharum. Illos omnes, qui pij essent, coepisse invocare, longe aliter, quam hoc reliquum vulgus, si tamen vulgus: sed tamen quam reliquos omnes. Vin tu stemus iudicio eius ipsius, cuius locum laudas ex c. 18. lib. 15. de Civitate? Ille delusus à versione Latina putavit quidem dici Enosum: sed tamen: *Nunquid enim Abel non speravit invocare nomen Domini Dei, cuius sacrificium Scriptura tam acceptum Deo fuisse commemorat? Nunquid ipse Seth non speravit invocare nomen Domini Dei: de quo dictum est, Suscitavit enim mihi Deus semen aliud pro Abel.* Cur ergo huic proprie tribuitur, quod piorum omnium intelligitur esse commune? Audin: & Abeli & Setho convenire id ipsum quod de Enoso dicitur proprie? Cur tu ergo negas, & maui de Enoso dici, non de illis? Parum est. Audin id Enoso proprie tribui, quod piorum omnium intelligitur esse commune? Et tu mihi religionem occinas, quæ prius non exercebatur? Et tu mihi religionem peculiarem occinas?

XIII. Perge, Abel prius colebat Al quem ergo specialem cultum invenit, qui prius non exercebatur à Patribus. Primo, non sequitur, ut iam dictum, invenisse alium. Deinde, ut hoc ipsum largiamur, tamen unde habes specialem? Unde, inquam, tibi constat, non tantum alium ab eo, qui prius exercebatur: sed etiam specialem: Nam hoc agitur. Exempli gratia, Christus instituit genus aliquod cultus divini, qui antea non usurpabatur: sed non instituit tamen specialem: sed communem omnibus pijs. At Franciscus instituit cultum, non tantum ante se non vitarum, sed etiam specialem: quia non omnibus Christianis, in quibus tamen Franciscus numerari voluit nec videri ab ijs discedere: sed Votarj tantum: ac ne Votarj qui-

dem omnibus, sed suo ordini. Itaque, aliud est, instituere cultum prius non vitarum: aliud specialem. Ut ergo importunitati Valdensis concedere velim, institutum esse novum cultum siue ab Enoso, siue Enosi tempore: tamen nego institutum fuisse specialem, quo distraherentur pii in varios ordines, ut ahi Abelani essent, siue Sethani, alij Enofani. Quod tamen si non obtinet Valdensis, si non obtinet Bellarminus: ad restim eis res rediit.

XIV. Adinvenit quædam verba deuota ad deprecandum Deum. Quis dixit? Dixit Andreas, nescio quis: dixit Lyranus. Primo, incertum est, siue Andreas dixerit, siue Lyranus. Nam ne illi quidem censetur admittendi, qui somniant invocatum ab Enoso Deum, nomine illo Tetragram matos: & in refutantibus esse voluit Pererius. Demus tamen: & intelligamus cum Petro Martyre, ritus & ceremonias, & signa vel sacramenta aliqua: An ideo priuatam devotionem: religionem peculiarem? denique cretum & claustrum?

XV. Doctor de Lyra dixit filios Seth fuisse continentes & religiosos. En tibi rem confectam? Male sit isti doctori, qui tam supine oblitus sit adedere cucullum & coronam, quæ duo monachos perficiunt. Absque hoc esset, triumpharent Votarj. Nisi & altera calamitas affligeret: continentes istos fuisse imaginarios: non tantum nullo suscepto voto solenni, sed ne simplici quidem: nihil enim habebant continentia: præter affectum continendi, si tempus tulisset, interim tamen, quia non ferebat tempus, strenue operam dantes liberis. Sed ut serio. Apud Lyranum selego ad inivum 6. *Geneseos. Filij Dei intelliguntur illi qui descenderunt de Seth, qui à patre suo fuerant instructi in cultu divino. Per filias hominum intelliguntur mulieres descendentes de Cain, quæ erant curiosæ, dissolutæ, & lubricæ. Hæc Lyranus. De continentia, ne verbum.* Etsi ego sane agnosco continentem fuisse Enosum, continentes filios Seth, imo neminem piium non continentem, sed longe alia notione, quam continentes nunc votarj nominant. Enimvero quis furor est, si curiosæ, si dissolutæ, si lubricæ fuerunt filia Cain? si illis dissimiles filij Seth, ergo fuisse cælibes, aut in cœlibatam pronos istos? Quasi inter tam dissita extrema, nullum sit medium, quasi omnes coniugati sint in curiosis, in dissolutis, in lubricis computandi.

XVII. Secundo loco, habemus, inquit Bellarminus, Numero. 6. vota Nazæorum, qui seipos Domino consecrabant, ad quorum exemplum etiam in Ecclesia quosdam seipos totos divino cultui deuovere scribit Origenes homilia 11. in Leviticum.

XVII. Ast ego miror, quid inuenerint simile Nazarenis, & Monachis. Nam religionis essentiam tria vota continent. Obdentia, Paupertatis, Continentia, quæ aut omnia, aut saltem bina, aut etiam singula si professi sunt Nazaræi, age triumphato per me Bellarminus. An igitur continentiam? At qui Samson Nazaræus fuit & coniugatus. Samuel etiam pater. An paupertatem? Quomodo, qui coniugati, & patres, iudem poterant absque familia esse: An denique obedientiam? Cui tandem, aut Abbati, aut Priori? Rursus, cum Religiosorum duo sint genera, Eremitarum & Cœnobarum, utris Nazaræos adscribemus? Nam neque Samson, neque Samuel, neque alius quisquam, quod sciam, non vixit apud se, & domi inter medios ciues.

XVIII. Quid ergo? Nemp hoc tantum, quod ritibus quibusdam sese voto obligabant. An igitur placet, nulla esse vota, ut non sit totidem religiones peculiare? Nec posse in eadem religione quicquam esse aut intentius, aut remissius? At qui inter Iesuitas non alia censetur religio Patrum, alia coadiutorum, non alia trium, alia quatuor votorum. Nec qui vouerit peregrinationem sacram apud Papistas definit esse de plebe; aut vllam peculiarem religionem instituit.

XIX. Quid? quod Nazaræorum vota, pars erat Ceremoniarum Mosaicarum, & pedagogia Israelitica: Atque adeo in legibus Mosaicis dicitur. Sciunt autem, quicumque discrimen non ignorant Mosis & Christi, non esse in Ceremonijs legitimum consequentiam à lege ad Euangelium.

XX. Ad Nazaræorum exemplum, quosdam se totos divino cultui deuovere, non est Origeni dictum. Imo rota ea homilia Nazaræorum nullum nomen. Sacrarum rerum naturam tractabat; puta brutorum animalium, imo valorum. Eas res negabat adhibendas vsibus humanis, *Quod si intellixisti, inquit, quomodo vel animal, vel vas, vel vestimentum sanctum appellatur, consequenter intellige, quod his observationibus & legibus etiam homo sanctus appelletur.* Enimvero nimium frequenter imponit Bellarminus veteribus, quæ illis cogitata non sunt.

XXI. Præterea; hos ipsos, qui se totos Deo consecrarint, neque ab Origeni intelligi vllam peculiarem religionem, aut vllum religiosorum ordinem segregatum à reliquis Christianis sanctis & pijs: *Si quis, inquit, seipsum deuoverit Deo: si quis nullis se negotijs secularibus implicauerit, ut ei placeat, qui se probauit, si quis separatus est & segregatus à reliquis hominibus carnaliter viventibus, & mundanis negotijs obligatis, non quærens ea quæ sunt super terram, sed qua in cælis sunt, iste merito sanctus appellatur.* Donec enim permixtus est turbis, & in multitudine fluctuantium volutatur, nec vacat soli Deo, neque segregatus à vulgo est, non potest esse sanctus. Et post. *Tu ergo qui hæc audis, cum lex diuina recitatur, quem ipse etiam Dei sermo conuenit, dicens, Sancti estote, quia ego Sanctus sum Dominus Deus vestester, sapienter intellige quæ dicuntur, ut sis beatus cum feceris ea.* Hoc est enim quod dicitur tibi, separato ab omni non solum homine, sed & fratre inquieto ambulante, & non secundum traditiones Apostolicas. Hæc Origenes, & quæ sequuntur non pauca, valde pie.

XXII. Sed non pertinere ad peculiarem aliquam religionem intellige, tum ex textu illo, quem habebat præ manibus: *Sancti estote, quia ego sanctus sum.* Nam hæc verba, & Levitici vigesimo dicta ad vniuersum Israel, & prioris Petri primo reposita omnibus Christianis, quis ignorat? Tum illud Pauli ex 3. post. ad Thessa. *ut subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinate, & non secundum traditionem, quam acceperunt à nobis, quis putet dictum ijs duntaxat, qui vel desertata lyuarum penetranda susceperint, vel claustrorum tenebris abdiderint sese, & non omnibus qui in luce Ecclesiæ versentur? Denique illud cuiusmodi est, *Nō potest esse sanctus.* Negent ne Papistæ vllos, vquam fuisse sanctos, nisi monachos? Virgo igitur. Origenes de ea separatione loquitur à rebus seculi, sine qua nullus esse potest sanctus. At sine separatione monastica, possunt esse sancti. Ergo de separatione Monastica non loquitur Origenes.*

XXIII. Tertio loco, habemus, inquit, Heliam, & Helizum, ac filios Prophetarum.

XLVIII. Tertium. Ipse victus atque vestitus docere potuit, in quo deserto Ioannes habitasset. An Sacerdotis inuicus, in paterna, id est, nobili & locupletate domo, non alio vestitu, quam pilis camelorum, non alio cibo quam locustis & melle syluestri vsus esset? Cur camelorum potius quam ouium pellibus nisi, quia in loco ubi cameli, non oues erant, id est, longe ab urbibus habitabat? Cur locustis? nisi quia in locis maxime desertis maxime versabatur? Cur melle syluestri, nisi quia domi non erat, ubi domestico vti posset: sed in solitudine, ubi non alium haberet cibum, quam mel in rupibus, aut truncis arborum.

XLIX. Sed locupletem Zachariae domum, quis dixit? Nam nobilem nihil moror. Erat Iosephi viri Mariae domus nobilis, & tamen non locuples. Itaque in domo patris sacerdotis dico filium vnicum sic educari potuisse in montanis, in desertis. Non quia non oues essent: nam has pasci in desertis, constat Exod. 3. *Moses pascebat oues Ietro socii sui sacerdotis Madian: cumque misisset gregem ad interiora deserti.* Sed quia solent deserti habitatores, lanas reliquere calcitratoribus: ipsi vero vilioribus vti. Et vero textas fuisse vestes, necesse est, si de pilis. Mirum ni texturam dicamus Ioannem exercuisse. Quod si non exercuit, ergo non ipse sibi vestes parabat: sed ab aliis paratas sumebat. Locustae, autem, cur significant loca maxime deserta? An quia nusquam illae locorum, nisi in vasta solitudine? Quasi vero populos *ακριδων φωνη* omnes oportuerit esse *λυκα θρησκου*. Melle autem syluestri, quis ignorat eos vti plurimum, apud quos id plurimum est? Nec domesticum, nisi in locis, ubi non nisi cum cura id genus animalium alitur. Nam etiam hodie multi sunt populi, qui sic viuunt, & in Germania: & in vicinis nostris Pyrenaeis.

L. Quartum, a ratione cur in deserto habitaret. Quia datam legem in deserto, oportebat in deserto mori. Quia veniebat in spiritu Eliae: itaque oportebat exemplo Eliae in deserto versari. Quia veniebat, vt tantam praese sanctitatem ferret, vt Messias videri posset, itaque oportebat ab oculis hominum remotum viuere, oportebat monachum esse. Homine Monacho nihil quicquam iniustus: qui nisi quod ipse velit, nihil rectum putat. Datam legem oportebat in deserto mori. Quis dixerat haecenus? Beatam his Monachis nouis Ecclesiam Romanam, a quibus tot noua edocetur mysteria. Et tamen quomodo lex mortua in deserto Ioannis? Scio ad Ioannem vsque fuisse Moysen & Prophetas: sed legem in deserto Ioannis mortuam, si nisi a se non docet Maldonatus; nae ego me non admodum imperitum duxero, dum hanc rationem ignoraro. Tum autem, si ita fatum fuit, cur Christus in luce hominum versatus est? Christus per quem proprie, non per Ioannem, mori lex debuit? Cur reliqui, qui in ea occidenda laborabant, non deserabant Hierosolyma, & abdebant se in lustris, vt a nemine hominum videri possent.

LI. Exemplo Eliae. Quo, inquam? Nam hunc ego nusquam lego in deserto habitasse: aut etiam frequentem fuisse. Lego duntaxat c. 19. prior. Reg. *perrexit in desertum, viam unius diei.* Sed tum, cum fugeret minas regis Achab, & pergeret quocumque eius ferret voluntas. Sed alioquin habitasse in deserto, nunquam dictum. Et tamen, si dictum: quod genus patrocinationis illud est? Venit in spiritu Eliae: ergo debuit in deserto viuere? Cur, in deserto, potius quam in torrente Carith? Potius, quam in Sarepta? Aut quae haec disputandi tyrannis est? vt nihil velis esse veri, nisi quod tu animo occupas? Denique & Christus visus est esse Elias, cum tamen Anachoreta nunquam fuerit.

LII. Vt Messias videri posset. Recte. Quanquam hoc cui venit vnquam in mentem? sed tamen, si damus: tum vero sanctitatem ipsi rebus testari, & exprimere debuit, potius, quam iis nugis, quas sibi somnauerunt Monachi. Enimvero, vt Messias videri posset, id genus sanctitatis exprimi oportuit, quod futurum erat Messiae. At quis vnquam, aut Prophetam dixerit, aut somnauit etiam Monachus, Messiam futurum Monachum? futurum *λυκα θρησκου*: Expedita sane ratio: vt videatur Christus, eam personam induat, quae non magis ad Christum, quam ad Hierionem.

LIII. Quintum Maldonati argumentum ex Luca c. 7. *Quid existis in deserto, vt spectaretis? Arundinem, qua vento agitetur?* Arundo, inquit, desertum ostendit. Cur enim arundinem cum deserto coniunxit, nisi, quia in desertis locis, non domi nasci solet?

LIV. O sobrium cerebrum! Quasi id oporteat argumentis conuinci, quod constat ex desertis verbis. Arundo desertum ostendit. Quid? Desertum ipsum, non ostendit desertum? Christum audis, & quaeris argumenta? Non nos adeo importuni. Sed, qui desertum concedimus: negamus tamen horrendas illas solitudines, illa ferarum latibula. Et tamen fallum, arundinem cum deserto coniungi. Non magis certe, quam Prophetam paulo post. Coniunguntur enim, desertum & exire: at non desertum & arundo. Tum etiam fallum, arundinem magis in deserto nasci, quam domi, id est, *οι ταις ορθαις*. Nam ea etiam soli amant.

LV. Haecenus Maldonati furores. Bellarminus ex Canisio, his argumentis pugnat. Primo, Vocem *desertum*, semper in Scripturis accipi pro vero deserto. Recte, inquam: sed verum desertum, non semper incultum profusum solisque feris habitatum: vt docuimus. Neque Anachoretae erant quicquam in deserto dicuntur habitasse.

LVI. Secundo, Si fuit in desertis, vsque in diem ostensionis suae ad Israel: ergo toto illo tempore non habitauit in domo parentum, vel in oppidis, vel pagis; sed in verissima eremo. Ratio consequentia: quia non videntur illum Israelitae vsque ad annum eius trigessimum. Respondeo, Negatur consequentia. Non visum autem Israelitis, verum, si populum vniuersum, siue *συνολως* intelligas: at fallum, si generaliter nulli omnino visum ex Israelitis. Et vero dies ostensionis, teste Maldonato, est tempus, quo praedicare coepit. Itaque Carthusianus, *Quousque Deo iubente venit, & manifestauit se populo Israelitico predicans, & baptizans circa Iordanem.* Aliud est priuatim agere, domi suae, & cum vicinis, quod etiam latere Veteres appellarunt: aliud ostendere se populo, fungentem aliquo publico munere, quod est proprie *μαθητικων* ius.

LVII. Tertio, Lucas dicit, factum esse verbum Ioanni in deserto, & venisse in omnem regionem circumiacentem Iordani: & hanc regionem desertam fuisse, teste Matthaeo. Ergo Ioannes venit a deserto in desertum. Sed ab illo adeo deserto, vt hoc praeeo non videretur desertum. Cur enim alias distingueretur a deserto regio? Vnde Euthymius geminum distinguit
Tom. III.

desertum, vnum interius, quo aut nemo penetrabat, aut rarissimi: & hic Ioannem fuisse ab incunte aetate: alterum exterius, ubi nemo habitabat, sed qua tamen frequens iter esset. Non improbo duplicem eremum. Tantum in interiorum neminem penetrasse, nec concedo, nec lego apud Euthymium: qui nihil nisi ab vno ad alterum venisse Ioannem. Nec est absurdum, hanc eremum circa Iordanem & fuisse infrequentiore reliqua Iudaea, & frequentiore tamca interiore, in qua Ioannes vixerit. Quanquam ne hoc quidem necesse sit: nam distinctionem nullam audimus, nisi a circumstantiis. Itaque venisse ab eremo remotiore, ad eremum iuxta Iordanem. Quare hoc argumentum leuius stipula.

LVIII. Quarto, quaerunt a Ioanne Iudaei, quis esset? Elias, an quis alius? At si versatus esset in domo parentum, certe sciuissent esse filium Zachariae. Verum, primo negari consequentia potest. Cur enim necesse fuit Ioannem non versatum in domo patris, cognitum esse iis qui essent in Hierusalem? Deinde: quid si non interrogant de stirpe, aut familia? sed de munere? Quasi dicerent non expectati, qui ita extra ordinem praedicaret nisi Eliam, aut Messiam. Id manifestum, ex conclusione, cum se negasset alterutrum esse, *Quis es ergo?* Quibus respondet nihil quidem de suo genere, sed de sua auctoritate: *Ego sum vox clamans in deserto.* Quo responso, cum eis sit satisfactum, apparet non fuisse sollicitos de familia.

LIX. Quinto, proferunt testes Eusebium, Demonstrationis lib. 5. c. 5. & Hieronymum epist. 4. ad Rusticum. Sed Hieronymus in hoc toto argumento imprudentior fuit, quam vt quenquam moueat. Scilicet verendum Ioanni Baptista fuit, nec in domo paterna periculum incureret eius castitas? Quod de sanctissima castissimaque domo dictum, quis non indignetur, quasi de lupanari? Eusebium, nihil dixit, quo nos infensos habeat. Dixit vltimate *περ αυτην κεινην ερημου διασειδιον, ονην κομνην ονην ονην παραβαλιν: neque in vicium, neque in urbem, neque in comunem virorum caetum commiscuit: quod, etsi non est necesse, tamen abest procul ab eremo, ubi nihil humani.* Dixit *αθροως ποθεν ελαφραν ερημου φαυ ολον. εγρη το ανευμα πικριον εσ τηδ ερημου, και οι τα φανεις ποσων ονη, repente ex obscuro deserto* (Bellarmini interpretes luxurians, nescio unde e latebris solitudinis) *apparentem, & post praedicationem rursus in desertum, & latebras recedentem.* Hic fortasse non veniunt huc de recessu, latem praeter Scripturas: sed, quicquid illud est, το α φανεις εσ τηδ ερημου quid habet virtutum? Latuit enim, vt diximus, non a nemine visus, praeter feras: sed non frequens in populo. Hoc vero etiam in populosis viribus posse fieri, si mihi non credant, credant saltem suis cenobitis.

LX. Quare actam a Ioanne fuisse vitam Anachoreticam, siue victum, siue vestitum, siue habitationem dicas, somnium est. Et tamen, vt demus plus quam vi argumentorum possunt obtinere aduersari, concedamusque visum sibi vni visum ac cognitum, quid tum inquam? Illi vero, Vicimus, inquit. Instituit religionem Anachoretarum, Eremitarum, Monachorum. Paucis vnio homunculo, tot populos! tot populorum examina! Ast ego hoc seque constanter nego. Negandi rationem audite, & admittite, si estis rationis capaces. Primum: Si instituit: ergo obtinere debuit institutio. Nisi forte, nouo quodam more id institutum, quis dicat, quod nunquam usurpatum est postea. At haec Ioannis vita nunquam postea usurpata. Ergo, inquam, non instituta. Quod enim religionis genus vnquam fuit; cui cibis nullas praeter locustas, vestitus nullus nisi de pilis camelorum? Nam ego quidem video, quocumque fuerunt, aliquor post id seculum secus, qui religiosos ordines instituerunt, discipulos habuisse, qui omnia seruarent ad vnguem. Et ita quidem, vt si mutentur vestes, vestes dico? vel colores; mutentur ordines. In cibis etiam, par superstitio. Et institutum a Ioanne credam suum ordinem, quem nemo Apostolorum, Apostolicorum nemo sequi sit dignatus? Scilicet, maiori fuit in pretio sanctitas Ioannis, apud Paulum & Antonium Eremitas, quam apud Petrum & Paulum?

LXI. Praeterea cur institutum, aut omnibus, aut pluribus, quod vni Ioanni proprium, circumstanti eueniunt? Mito locustas, iis regionibus cibum proprium, pilos camelorum iis locis abundantes: ineptum vtrumque quod vniuerso praescribatur orbi, vel etiam imitandum proponatur. Quid? quod in eremo fuit, quia scriptum, *Vox clamantis in eremo*? & legem in eremo mori oportuit si Maldonato fides? Quid? quod tantam seueritatem exhibuit, quia Messiam videri oportebat? Quid ergo? si causae sint peculiariae, sint priuatae, possuntne effecta esse communia? & si non suat communia: quod ius erit imitationis?

LXII. Sed haecenus Ioannes. Sextum deinceps exemplum repetitur ex Act. 4. ubi primi Christiani vitam cenobiticam instituisse dicuntur, ubi essent omnia communia. Inde autem coepisse religiones, testibus probat, Eusebio libri hist. 2. c. 16. Hieronymo de Viris illustribus in Philone, Augustino, serm. 2. de vita communi Clericorum: Possidio in vita Augustini, Iudoro de Officiis c. 15. Cassiano Collationis 18. c. 5.

LXIII. Respondeo, nullam hic cenobiticam vitam esse institutam. Patet. Primo, quia cenobitica vita, nullas patitur familias singulorum: & vnam omnium oeconomiam instituit. At primis Christianis propriae familiae fuerunt: nam, exempli gratia, Ananias Saphiram habuit uxorem. Secundo, cenobitica vita obedientiam vult caecam suis peculiaribus, siue Abbatis, siue Archimandritis, qui alii sunt a communibus Ecclesiae Pastoribus. At primi Christiani, nullos tales habuerunt, sed tantum Apostolos sibi praepositos, ad quorum pedes sua donaria offerrent. Tertio, vita cenobitica, non habet omnia communia omnibus Christianis: sed propria singulis ordinibus? etsi communia omnibus eiusdem ordinis: imo non ordinis, sed conuentus capitibus. Neque enim sua bona omnibus Christianis vanda permittunt, aut Carthusiani, aut Benedictini, aut Franciscani, aut Iesuitae: vel Carthusiani Franciscani, Franciscani Benedictini. Sed aptum Franciscani Franciscanis: Benedicti Benedictinis: Iesuitae Iesuitis: & deinceps. At primi Christiani longe aliter, Nemo inquit Lucas, *erat egens inter eos: quod quos enim erant possessores agrorum, aut domorum, vendentes adtrebant pretia eorum, qua vendita fuerant: & deponebant ad pedes Apostolorum: distribuobatur autem singulis, prout cuique opus erat.* Et paulo ante, *Nec quisquam aliquid eorum, qua habebat suum esse dicebat, sed erant eis omnia communia.*

LXIV. Quarto, Vita cenobitica suscipitur ex voto peculiari, & per
Mm 2 petuo.

re: indicare. Solere fateor: debere nego. Nam alia artificiosa est Methodus, alia Oratori: quæ nonnunquam...

X C I V. Quarta. In Apologia pro Iudæis, Philo Practicorum tantum laudatione contentus fuit: quia Theoretici neque Iudæi religione iam erant, neque magnam partem genere...

X C V. Quinta. Practici tam à Iosepho, quam à Philone in Syria & Palestina, Iudæaque collocantur, neque alibi vsquam. At Theoreticorum, πολλὰ τῶν τῆς οἰκουμένης ἐστὶν τῶν Ἰουδαίων...

X C V I. Sexta. Practicorum numerus ab utroque, Philone & Iosepho pene definitur, qui quatermillesimo proximus fuerit. Theoreticorum nullus initur, & fuisse maiorem oportet, cum tam multi fuerint, & in Ægypto, maxime Alexandria, & in aliis provinciis...

X C V I I. Septima. Practicorum ædes Philo Synagogas: Theoreticorum vero συναγωγάς vocat. Sed nomina ad placitum variantur. Deinde nullum id argumentum Christianitatis. Nam Christianorum ædes, semnea appellata nondum vidi.

X C V I I I. Octava. Θεογονία nomen primis Ecclesiæ primordiis ad posteros dimanavit. Ergo si fuerunt Christiani. Antecedens probatur ex Dionysio. Sic & ἱεροσολιμίτικα & ἱεροσολιμίτικα. Respondeo primo, nomina sumi ponive pro arbitrio, ideoque ab iis ad res non esse necessaria argumenta. Itaque Serarius non audeat certo concludere, sed duntaxat verisimiliter. At qui inde accesserunt Monasticam vitam, si sane magis quam verisimiliter sperant argumentari. Secundo, ἱεροσολιμίτικα nomen, si est παρῶσθεν ἐκ φύσεως, ἢ τῶν ἱεροσολιμίτικων, ἢ τῶν ἱεροσολιμίτικων...

X C I X. Nona. Eorundem ad posteros dimanasse instituta, testis vstitata olim apud Christianos rerum omnium abdicatio, vitæque communis societas, Actorum secundo: Sacra conuiuia, quas Agapas vocabant, peruigilia statuta & ordinata, in festis Sanctorum, ieiunia quadragesimalia. Imo peruigilia, festa sanctorum, quadragesima, non ab initiis Ecclesiæ, sed temporibus primis succedens posteriorum corruptio. Agapas inde ortas, quis credat, qui sciat has non paucorum ἀγαπᾶσθαι, sed totius Ecclesiæ fuisse? Quanquam, quod in iis successione indicium, non video, quæ tam paucis tempore usurpate in Ecclesia. Sed de communi vita, quicquid illud est, potuit ne magis ridicule dici? Hancine propagatam ab Essenis in Christianitatem, quæ prior fuit Essenis, si Essen instituti à Marco? Nam certe, quæ describitur historia, Actorum secundo, accidit ante quam vllus esset Alexandria Christianus, nedum ut instituta fuerit à Marco Ecclesia.

C. Atque hætenus celeberrima exemplorum nomina, quibus siue abutuntur hodie, siue olim abusa sunt Monachorum examina, vt se commendarent Christianis, & sua instituta persuaderent non esse recentia. In quibus exemplis, nihil fuisse comperimus monasticum, præter immanem imposturam, quæ si demonstratio est, quid non speremus amantes?

C I. Post Apostolorum seculum crescunt superstitionis animi. Habent Dionysium Areopagitam scribentem ad Demophilum Monachum, amplius, prolixè explicantem monasticæ professionis formam, capite sexto Ecclesiasticæ Hierarchiæ. Tertullianum autorem libri de Velandis virginibus. Cyprianum, libri de Habitu virginum. Habent Dionysium Episcopum

Romanum, Damaso teste, ex Monacho assumptum. Habent Athanasium describentem vitam Antonii primi Eremitæ, sed quem tamen Monachi præcellerint. Sic enim Bellarminus enumeravit.

C I I. At nos, primo Dionysium illum planum, non negamus monachos agnouisse: sed ignotum omnibus Veteribus ante Gregorium, ferre non possumus, pro locuplete teste haberi, eorum quæ gesta sunt Apostolorum temporibus. Et Bellarmini ridemus curiositatem, tam subtiliter inquirentis in eius ætatem. Quid enim ille facit operæ pretii? Non est recentior, inquit, Gregorio magno, quia hic illum appellat antiquum & venerabilem patrem. Non paulo ante Hieronymum. Nam hic illius scripta nouisset, eumque retulisset in album Scriptorum Ecclesiasticorum, notus etiam fuisset Ambrosio, Augustino, Chrysostomo, aliisque Patribus: quibus fuit incognitus. Ergo fuit autor antiquissimus. Et suppressus ab hæreticis, ac tandem Romæ repertus. Non est, inquit, recentior Gregorio. Et hoc vnum est, inquam, demonstratum. Neque enim Prophetam existimamus Gregorium, qui Dionysium potuerit sic futurum nomine designare, sicut Cyrum Esaias. Sed quantum hoc est ei impostori, qui se ipsi viuentibus Apostolis inferuit?

C I I I. Verum, inquit, non fuit paulo ante Gregorium. Vt hoc daremus, tamen immane quantum spatium est temporis à Gregorio ad Apostolos. Thronum enim Gregorius iniuit extremo demum seculo sexto, nimirum anno quingentesimo nonagesimo. Parum-ne id cuiquam videatur, vt potuerit & à Gregorio antiquus appellari: & longe abfuisse ab Apostolis? Et tamen quo argumento id conficitur? Quia vocauit antiquum patrem. Itane? Et nemo credat potuisse imponi Gregorio, vt eum qui se Apostolis inferuit, inconsiderate crediderit fuisse Apostolicum?

C I V. Sed festiuum hoc est. Non paulo ante Hieronymum. Itane? Antiquum patrem appellauit Gregorius, ergo priorem Hieronymo? nec paulo priorem? Atqui ab Hieronymo ad Gregorium, anni sunt ducenti circiter. Sed cur non paulo ante Hieronymum? Quia Hieronymus non meminit. Atqui nos potius: Ergo posterior Hieronymo, imo Augustino, quia eum hi non norunt. Noscant autem si fuisset prior. Nam quos illi autores non norunt se priores: qui saltem fuerint alicuius nominis? Nugatur ergo, quisquis antiquissimum dicit: quia ignoratum tam antiquis viris. Nam suppressum ab hæreticis, facilius fuit diuinare, quam probare.

C V. Dionysium video ab Anastasio Bibliothecario (is enim est, non Damascus) dici Monachum: & tamen vnde fuerit, nemo potuit indicare. Credamus ergo, illustre testimonium. Imo potius Anastasii fidem vt alias sæpe sublestat, ita hoc loco, non satis locupletem.

C V I. Tertulliani, Cyprianique virginis nouimus: sed monasticam tamen vitam nullam aduerimus. Tertullianus, velari iubet omnes virgines Christianas: non tantum aliquas, vt erat necesse, si votarias istas, & perfectionis professas vellet: sed omnes, tum per urbem, tum maxime in Ecclesia. Quod vt magis intelligas, initium velandi vult esse ab ingressu, quo? Clausitri? Monasterii? minime omnium: nam hæc apud eum nulla nomina sunt: sed ab ingressu pubertatis. Ipso statim initio, ostendam virgines nostras velari oportere, ex quo transitum ætatis suæ fecerint. Et vndecimo, Vbi gradum fiximus de Apostoli absoluta definitione: omnem mulierem etiam omnis ætatis intelligendam: responderi ex diuerso habebat, ergo à natiuitate, & à primo nomine ætatis, virginem operiri oportere. Non ita est autem: sed ex quo se intelligere ceperit, & sensum naturæ suæ intrare, & de virginis exire, & pati nouum illud quod alterius ætatis est. Et post, Sed, etsi propter Angelos velanda est, sine dubio ab ætate lex velaminis operabitur, à quo potuerunt filia hominum concupiscentiam sui adducere, & nuptias pati. Ex illo enim virgo desinit, ex quo potest non esse. Plana res est: Lex velaminis operabatur secundum ætatem: id est, ex mente Tertulliani, omnes virgines post pubertatis initia prima, velandæ sunt. At non omnes virgines post pubertatis initia, moniales sunt. Ergo Tertulliano velata virgo, non est monialis.

C V I I. Præterea, argumentum est generale à sexu: quia omnis mulier velanda est: at omnis virgo est mulier: Ergo omnis virgo est velanda. Capite septimo, Conuertamus ad ipsas iam rationes recensendas, per quas Apostolus docet velari feminam oportere, an eadem etiam virginibus competant: vt ex hoc quoque vocabuli communitio inter virgines & non virgines constet, dum eadem velaminis causa in utraque parte deprehenduntur. Capite octauo, Satis ad vniuersam speciem cuiusque sexus Apostolus pronunciauit, & breuiter, & plene tam instructa definitione, Omnis, inquit, mulier. Quid est omnis? nisi omnis generis, omnis ordinis, omnis conditionis, omnis dignitatis, omnis ætatis? Vnde, atque adeo ex tota disputatione facile est colligere, improbari morem, qui inualerat Carthagine, vt mulieres quidem velarentur, at non sic virgines: eum morem fuisse à Tertulliano improbatum. Itaque virgines velatæ, nihil ad Moniales.

C V I I I. Vnum obiicitur. Distingui à Tertulliano Virgines mundi, id est, seculares & virgines Dei, id est, sanctimoniales: & de his dici, O sacrilega manus, quæ dicatum Deo habitum detraxere potuerunt! Quid peius aliquis persequitur fecisset, si hoc à virgine electum cognouisset? Item, Nupsisti Christo, illi tradidisti carnem tuam: & hæc postrema negat Pamelius posse aliter intelligi, quam de virginibus, quæ Christo suo sponso continentiam suam consecrari, & professæ fiat.

C I X. Sed hæc nullius momenti sunt, si cum iis comparentur, quæ iam notata sunt. Enimvero, quicumque fideles, Deo sunt consecrati: ideo necesse est eos in suo statu sic versari, vt suam sinceritatem Deo probent. Sic qui in coniugio, castitatem coniugalem sui colant, vt non hominum metu cohibeantur, sed affectu in Deum. Sic Virgines. Hoc ergo Tertullianus Virgines admonet suas, vt se meminerint esse Deo sacras: propterea debere suam virginitatem longe cariosius puram conseruare. Hinc discrimen Virginum Dei, & Virginum mundi: non, quomodo Papistæ sanctimoniales & seculares, vt loquitur Bellarminus: sed quomodo Scriptura, filios Dei & filias hominum, dixit. Omnes, inquam, Virgines, Christianas, virgines Dei: omnes non Christianas, virgines mundi Tertullianus appellat. Neque aliter nupsisse Christo, illique tradidisse carnem suam. Eadem ratio habitus Deo dicati.

CX. Cypriano fuit idem Virginitatis genus propositum: sed aliquantulum diuersus finis. Tertullianus velamen solum urgebat: at Cyprianus de vniuerso corporis ornatu agit, de velo, aut nihil omnino, aut certe non specialiter. Itaque in hoc totus est, vt virgines doceat modeste ornari, pompas fugere. Denique nihil, aut imperat, aut si hoc nimis durum, nihil consultit, quod non omnibus Christianis, non consili tantum, sed etiam impurari possit. Quin etiam diuites alloquitur. Cap. 6. *Sed sunt aliqua diuites, & facultatum ubertate locupletes, quae opes suas praferant, & se bonis suis vti debere commendant.* Audin' locupletes; audin' facultates suas? Audin' vti debere? Haecine de Sanctimonialibus?

CXI. Tum autem, has diuitias iubetne omitti, deferri, abdicari? Omnino, inquam, sed quomodo debent ab omnibus Christianis, *Scient primo, illam diuitem esse, quae in Deo diues est, Et post: Caterum quaecumque terrena sunt in seculo accepta, & hic cum seculo remansuram, tam contemni debent, quam mundus ipse contemnitur, cuius pompis (& haec teste Pamelio, allusio est ad renuntiationem, quae fit in baptismo) & deliciis iam tunc renuntiauerimus, cum meliore transgressu ad Deum venimus.* Itaque cautiones additae. cap. 7. *Locupletem te dicitur diuitem, sed diuitis tuis Paulus occurrit, & ad cultum atque ornatum tuum iusto sine moderandum, sua voce praescribit.* Sicut, inquit, mulieres cum verecundia & pudicitia componentes se, non tortis crinibus, neque auro, neque margaritis, aut veste pretiosa, sed, vt dicit mulieres promittentes castitatem, per bonam conuersationem. c. 8. *Locupletem te dicitur diuitem: & vtendum putas is, quae possidere te Deus voluit. Vtere, sed ad res salutare. Vtere, sed ad bonas artes. Vtere, sed ad illa, quae Deus praecipit, quae Dominus ostendit.* Diuitem te sentiant pauperes, locupletem sentiant indigentes. Atqui sanctimonialibus, neque diuites esse profitemur: neque in pauperes licet esse liberales, sed aliena liberalitate vti.

CXII. Praeterea, has ipsas Virgines describit procedentes in publicum: nec reprehendit, nisi quod cum nimio ornatu. c. 4. *Quid ornata, quid compta procedit, quasi maritum, aut habeat, aut quarat?* at virginibus illis sanctimonialibus: non tantum procedere comptas, sed etiam procedere damnatum, etiam abs Hieronymo.

CXIII. Quare illud ca. 3. *Quae se Christo dicauerint, & à carnali concupiscentia recedentes, tam carne, quam mente se Deo vouerint:* quae verba viget Pamelius, eundem sensum habere oportet, quem dicebamus in Tertulliano. Nam profecto omnes Christianos oportet se Deo vouere, & Christo dicere. Nonne? qui Christo dicuntur agglutinati, καὶ ἀρρητοι, prioris ad Corin. 6. Sed virgines, praecipue, omnes, inquam, virgines Christianae: quia nuptiae diuise sunt, teste Apostolo. Itaque votum nullum est, qualia nostri votarij postulant.

CXIV. Et tamen, si constaret maxime, tum Tertullianum, tum Cyprianum votas aliquas dicere in perpetuam virginitatem: quid Bellarminus obtineret? Meminisse enim debet agere se non de vouenda virginitate, sed de origine Religionum: at Virginitatis votum, si vllum fuit perpetuae, illis temporibus, tamen non fuit ordo religionis separatae, sed priuatae vitae instituentis ratio.

CXV. Superest Antonij vita ex Athanasio. Atque hic denique locus est in omni Antiquitate primus, in quo & Eremitas, & Monachos legimus, separato à reliqua Ecclesia vitae instituto. Sed liber adeo tota tractatione dissimilis est reliquis Athanasij operibus, vt persuaderi nequeat fanioribus, non esse supposititium. Non negant scriptam ab Athanasio Antonij vitam: In Antonij vita non negant fuisse nonnulla hic descripta, quibus argumentis Bellarminus sperat se hanc fabulam vindicaturum Athanasio, sed non credunt tamen ita scriptam fuisse à maximo, & viro & Theologo, in qua videatur lusisse aliquis, vt variis *μερμηλυστοις* lectores, tanquam infantibus, pauore consterneret: & luctam fidelium cum nequitijs spiritualibus, vix nisi corpoream, aut certe magis corpoream repraesentaret, quam spiritualem. Athanasij opus, appellauit Hieronymus insignis volumen. Id vero, siue molem intelligas codicis, siue momenta rerum, non videmus qui possit dici de ista Antonij vita. Nam & moles, non minor in alijs eiusdem Patris scriptis: in nonnullis maior: & momenta rerum longe absunt à grauitate Theologica. Sed & Blacij interitum aliter verus narrat Athanasius in Epistola ad solitariam vitam agentes, aliter iste. Ille literas (& vt videtur ad se) Antonij oblatas Blacio à Georgio dirigendas: Ille ipsum Blacium accepisse ab Antonio ad se. Ille laceratum à proprio equo Blacium, cui insidebat, iste, ab equo, cui insidebat, Nestorius Aegypti praefectus.

CXVI. Tamen verum est, eo seculo, quod tertium fuit à Christo, coepisse hoc, quicquid est, siue religionis, siue superstitionis. Nam & scriptit Athanasius, τὸς πανταχῶ καὶ τιποὶ τὴν μονήν ἕσθαι ἀσκήσι: & constat Antonium, Paulum, Hilariem his fuisse duces. Itaque non quaerimus vtrum fuerint, sed vtrum esse debuerint. Vnum scimus, nunquam ex Christi, Apostolorumve instituto, fuisse. Viderit Paulus, viderit Antonius; viderit Hilariem, viderint alij. Certe longissime hi omnes absterne, non tantum à Christi perfectione, qui nihil inhumanum affectauit, sed ab Apostolorum humanitate, qui vitam communem viuere maluerunt. Qui nos sanus: qui sapientiores esse velimus? Qui Papista? qui eorum oculos configant?

CAP. XXIII.

De abusu Religionum.

I. Haecenus origo Religionum. Nunc, quod polliciti sumus, abusus obseruemus: id est, grauissimas rationes, quibus & ab initio conficitur non fuisse introducendum hoc vitae institutum: & nunc tandem interesse Christianitatis, vt funditus tollatur. Ita enim fere fit, vt humanum ingenium, siue hebetudine propria infirmius non prauideat incommoda futura: siue passionum violentia abreptum, prauiua, vel dissimulet, vel non curet: siue, spei fallacia titillatum, feliciores successus sibi polliceatur, ideoque aggrediatur multa, quae successu temporis cogitur improbare, cum frequē,

longiusque rerum usus, & hebetudinem acuit, & falliones detruit, & spei lenocinia confutauit.

II. In quam partem iam prauidicia fuere, exigua illa quidem, & pauca: Sed relatu non indigna, vt temporum, in qua deuenimus desperatam & rixiōse nosse possimus: quae in odium veritatis, olim quidem radiis pauculis, & tenuibus: nunc autem tota luce lucentis, susque deq; habet, quae paulo moderatius instituta erant. Tardere coepit Romanam Ecclesiam harum religionum: & coeptum cogitari de luxuria coercenda. Inde statutum, vt ne noui vlli ordines excogitarentur. In Sexto Decretalium, titulo de Religiosis domibus, Gregor. X. in Concilio Lugdunensi; *Religionum diuersitatem nimiam, ne confusionem induceret, generale Concilium consulta prohibitione vetauit.* Sed, quia non solum importuna petentiū inibiatio illarum postmodum multiplicationem extorsit, verum etiam aliquorum praesumptuosa temeritas, diuersorum ordinum praecipue mendicantium, quorum nondum approbatione meruerit principium, effrenatam quasi multitudinem adiuuenit: repetita constitutione distribuitus inhibentes, ne aliquis de cetero nouum ordinem, aut religionem adiuueniat, vel habitum noua religionis assumat: cunctas assatim religiones & ordines mendicantes post dictum Concilium adiuuentos, qui nullam confirmationem sedis Apostolicae meruerunt, perpetua prohibitioni subiicimus, & quatenus processerant, reuocamus.

III. Quod Concilium ille nominat, Lateranense fuit sub Innocentio III. cuius Canon est 13. *Ne nimia religionum diuersitas, grauem in Ecclesia Dei offensionem inducat, firmiter prohibemus, ne quis de cetero nouam religionem inueniat. Sed quicumque voluerit ad religionem conuerti, unam de approbata assumat.* Cuius Canonis meminit Ioannes XXI. extrauagante Sancta Romana, de Religiosis domibus, *Sacris Canonibus est interdictum, ne aliquis nouum ordinem, aut religionem inueniat, vel habitum noua religionis assumat, sed quicumque ad religionem venire voluerit, ingrediatur unam de religionibus approbata.*

IV. His legibus videbatur aliquantulum consultum Ecclesiae, aduersum huius propagationem superstitionis. Sed frustra. Quia postmodum addita exceptio, limites sustulit. Angelus de Clauasio in Summa, Verbo Religiosus, *Quid de inuenientibus nouum ordinem? Respondeo, quod non sunt religiosi, nisi à Papa expresse approbantur: quod cum sit prohibitum nouum ordinem, vel religionem inuenire: ideo non religiosi, sed potius irreligiosi sunt censendi tales. Et hodie sunt excommunicati ipso facto.* Sed, & Bellarminus capite quarto, disputat necessariam esse Papae confirmationem propter ius posituum, ex quo facti illi fuere Canones. Qui tamen Canones, non tantum non meminere eius exceptionis, sed etiam videbantur praecuisse: nam Ioannes ille vigesimus secundus, Fraticellos siue Beguinos aboleuit, etsi habentes à Celestino quinto, status, seu vitae priuilegium. Porro inde, quantopere sit illud Canonibus, ipse usus argumento est, ordinumque numerus, qui ab iis temporibus intrusi sunt, & quotidie intruduntur.

V. In Consilio delectorum Cardinalium de emendanda Ecclesia iussu Pauli tertij conscripto, anno salutis 1538. *Conuentuales ordines abolendos esse putamus omnes, non tamen vt alicui fiat iniuria, sed prohibendo ne novos possint admittere.* Verum pia mater, non potuit non indulgentia vti in liberos: itaque impune numerus augetur quotidie. Sed, quid nos miremur in hisce rebus tam, aut negligentes, aut indulgentes Papas esse: qui vniuersum Papium scimus, non nisi ex negligentia constare, & indulgentia? Enimvero, qui semel verecundiae limites praetergressus est, hunc oportet gnauiter esse impudentem. Nos, quod suscipimus, hoc agamus.

VI. Primus abusus: Distractio Ecclesiae in varias partes. Eiusmuero constat, geminam esse Ecclesiae unitatem, siue potius unitatis rationem: vnam omnium cum Christo capite: à quo separata membra, vitam habere nequeant. Alteram membrorum ipsorum inter se. Inde enim dicuntur fideles, non tantum membra Christi: Prioris ad Corinthos 6. *An nescitis corpora nostra esse membra Christi: Ad Ephes. 5. Membra sumus corporis eius, ex carne eius, & ex ossibus eius.* Sed etiam membra alij aliorum, ad Rom. 12. *Singuli autem alij aliorum membra.* Atque adeo hinc omnes: non plura, sed vnum corpus Christi, *Multi, vnum corpus sumus in Christo*, inquit ibidem Paulus, & 10. *Sicut enim corpus vnum est, & membra habet multa: omnia vero membra corporis vnius, multa cum sint, vnum sunt corpus: ita & Christus.*

VII. At Monasticae vitae institutum, aduersus hanc unitatem peccat manifeste. Nam, vt nihil dicam de priori unitatis ratione: certe posteriorem mirum in modum labefacit: atque adeo videtur id in animo habuisse humanam salutis aduersarius, vt abuteretur inconsiderato primorum hominum zelo, non mea sententia malorum, atque ita paulatim *Contra* Ecclesiae à Christo constitutam, ab Apostolis usurpatam dissiparet. Ea unitas tota consistit in Communionem Sanctorum. Ea communio, etsi vere sit, & proprie in interno affectu: tamen habet etiam suos externos effectus: qui, cum nulli sunt, tunc ne illa quidem vlla esse dicitur: vnde Iacobus cap. 2. *Qua utilitas, fratres mei, si fidem dicat aliquis habere se, opera vero non habeat? Et post, Fides, si opera non habeat, mortua est per se.*

VIII. Violatur haec communio, cum negliguntur Coetus instituti, tum à Christo, tum ab Apostolis, exercendae communi concursu pietati. Nam & Christus, vt plurimum, in magna discipulorum corona docebat: & certe Apostoli vix aliter, vt constat ex Actis. c. 1. *Hi omnes perdurabant concorditer in oratione & deprecatione. c. 2. Cum aduenisset dies Pentecostes, erant omnes concorditer eodem loci. Addita sunt Ecclesia die illo capita, quasi ter mille. Erantque perdurantes in doctrina Apostolorum, & communicatione, & fractione panis, & precibus. Omnes, qui credebant, erant eodem loci, & habebant omnia communia. c. 4. Repletus est locus in quo erant coacti. c. 11. Factum est, vt annus totum conuenirent in Ecclesia, docerentque turbam multam. Sed & ad Heb. c. 10. *Non deserentes, tūc imitauerunt, loquuntur, aggregationem nostri mutam.* Vnde post Apostolos, magna cura continuati sunt coetus huiusmodi, facti etiam demum templis, quibus etiam Ecclesiae nomen inditum, ob eam causam.*

IX. At, qui solitudinem desertorum affectant, quomodo non in hanc partem peccant grauissime? Aut iis, quis potest coetus frequentari, quibus tam inuisa est hominum societas: vt, qui plurimos annos hominem nullum viderit, is omnium maxime inter eos fuerit laude dignus? Anthonium Athanasius ille, quisquis est testatur, annos viginti solitarie translegisse, atque

atque ab hominum aspectibus segregatum perdurasse. Paulum eremitam...
Legenda aurea in quadam spelunca sexaginta annis hominibus incognitam...

X. Cœnobitæ in eadem communionem peius peccarunt. Etsi enim...
cœtib. nō renunciarunt: tamen Schismatis genus induxerunt, dum sibi ipsi...

XI. Secundus abusus: Institutio variarum sectarum. Nam Eccle-...
siæ Christianæ ea est natura, vt non sit nomen generis, sub se continen-...

XII. Cum illa, inquam, sit Ecclesiæ natura, & non differant...
Christiani à Christianis, nisi numero: tum vero hoc Monachatus in-...

XIII. Christus tamen dixerat, Ioannis cap. 17. Non tantum pro iis rogo...
sed & pro iis, qui per sermonem eorum credituri sunt in me: vt omnes vnium...

XIV. Tertius abusus hinc est, nouorum nominum imposi-...
tio. Nam ab initio, qui discipuli prius, paulo post Christiani sunt ap-...

XV. Ignatius Epistola tertia, quæ ad Magnesium. Ἡρώμεθα ἐν ἀξίῳ...
ἐπισημαίωμεν τὴν εὐαγγελίαν, ὅτι οὐκ ἐστὶν ἀλλοθὶ ἀπὸ τοῦ θεοῦ...

XVI. Est & Athanasij locus ychemens contra Arianos, disputatio-...
nis 2. initio, vehementer hæreticos exagitantis, quod aliunde sibi no-...

sto, Christiani & sumus, & nuncupamur illi vero, qui aliunde originem sua...
dei deducunt, merito autorum suorum cognomenta, vt ad quos pertineant, præ-

XVII. Hæc cum ita sint, tamen essentialia est, vt ita dicam, Monachia...
omnis generis, minimum, nomen ostentare Christiani, potissimum, sui quæ-

XVIII. Quartus abusus, Superstitio. Non enim exigua pars est diui-...
ni in Ecclesiam per Christi redemptionem beneficii, libertas in rebus exter-...

XIX. Et tamen, si hos ritus, si has observationes sustuleris, totum...
monachismum, Eremitas, inquam, & Cœnobitas vna eademque ope-...

XX. Negant superstitionem esse: quia non abstineant, tan-...
quam à natura malis, sed tanquam ab illicitis propter votum. Sed, quis...

XXI. Quintus abusus. Mutua inter Christianos charitatis neglectus: que...
sine officio consistere non potest, teste Iacobo, cap. 2. Si frater aut soror nudus...

XXII. At Monachorum institutum huic charitati, his charitatis offi-...
ciis, velut ex diametro est oppositum. Nam primo, qui Eremiticam vitam...

XXIII. Iam, qui Monachi sunt cœnobitæ, vestigia retinent illi quidem...
charitatis, cum saltem inuicem amant: eoque non exsuerunt prorsus homi-...

Vnde per spirituales mortem deobligatur à caris impendenda parentibus, sic ut etiam deobligaretur per mortem corporale: & ideo non peccat, nec contra preceptum Dei agit, si in claustris remaneat sub precepto patrii sui, parentum ministracione pretermissa. rorrendum dicitur. Nam quid restat, quo vita sit charitas: quum etiam pietas filiorum in parentes dissoluatur?

XXIV. Quid de Mendicantibus dicam? Nam hi genus vitæ profitentur huiusmodi, quod omnium in se beneficentiam experiatur, suam in neminem exerceat. Fucorum instar, qui nihil nisi apum mella consumunt. Cum tamen Christiana charitas, labores operando manibus, quod bonum sit, ut possit impertiri, cui opus fuerit. Quarto ad Epheticos. Hieronymus. Qui igitur ad hoc tantum laborat, ut ipse non egeat, & ceteris, contrahit manum, quamuis applaudat sibi, tamen Apostoli preceptum non fecit. Quamquam Mendicabula ista, ne tibi quidem ipse labore: ideoq; bis peccant in hoc Apostoli, non consilium, ut loquuntur Papistæ, sed preceptum, ut melius Hieronymus.

XXV. Sextus abusus, à *misericordia*, quo ego vocabulo comprehendo totam illam affectationem immanis & belluinæ vitæ. Quamquam hæc, non omnes tangit monasticæ profitentes. Nam, quos Basilus instituit, quos etiam Benedictus, etsi iam corruptior, ij mores nihil ab homine habuerunt alienum, neque abhorruerunt à ciuilitate. Ne hodierni quidem Monachi, etsi videantur de austeritate contendere, quicquam habent tam austerum, quod vel intolerabile sit, vel etiam incommodum, si modo vsus accedat. Sed vetera exempla, si vera fuerit, quis legat absque horrore? Antonius secessit ad sepulchra, & in vna marmorea clauis solus ibidem morabatur: vbi eum semimortuum inuentum, cum frater, nescio quis ad villulæ domicilium retulisset, ipse tandem anima paululum redeunte, referri se iussit. Hilario, teste Hieronymo, herbarum succo, & paucis carycis post triduum, vel quadrimum deficientem animam sustentabat, orans frequenter, & psallens, & rastro humum fodiens; ut ieiuniorum laborem, labor operis duplicaret: vnde attenuatus est, in tantum exeso corpore, ut ossibus vix hæreret. Extructa breui cellula, latitudine pedum quatuor, altitudine pedum quinque, hoc est statura sua humiliore, longitudine paulo ampliore, quam eius corpulentum patiebat, ut sepulchrum potius quam domum crederes: capillum semel in anno die Paschæ torondit, super nudam humum, stratumq; iuncum vsq; ad mortem cabitauit. Pauca ista sufficiant: nam piget plura persequi: quorum vix vltis finis.

XXVI. At Paulus ad Ephes. 5. Nullus vnquam suam ipsius carnem odio habuit: imo natus est, ac fuit sicut & Dominus Ecclesiam. Non naturæ tantum motus indicans: sed & laudabiles significans: quæ enim laus maior dici potest, quam quæ est à comparatione Christi? Non ego peccari plerumq; nimio excessu: sed profecto temere illi faciunt, qui ab vno extremo in aliud desiliunt, & mediocritatis nullam habent rationem. Contundendum esse Christiano corpus, concedo: sed exemplo Pauli oportuit. Profitetur enim prior, ad Corinth. 9. *in vna die totum me torondit*: sed nunquam tamen ille in Pauli, aut Hilario, aut Stylitarum ameniam ferri se passus est.

XXVII. Septimus abusus, Dei tentatio. Nam ipse Filius Dei, cum iuberetur se ex summa turri precipitem dare, negauit facturum, *Scriptum est enim, Non tentabis Dominum Deum tuum*. Matthæi 4. Lucas Brugenis in eum iocum, *Tentat Deum qui experimentum ipse vult sumere potentia Dei, sapientia, bonitatis, aut fidelitatis in seruandis promissis, vbi necesse non est, promissiones eius subiiciens iniusto examini, sive id ex præsumptuosa agat confidentia à Deo expectans id, quod humanaratione potest assequi, aut expectans id, quod præter omnem est necessitatem: sive ex incredulitate, vel dissidentia, Deo non relinquens necessarium vti consultum fuerit, prouidentiam*. Conterit Ianfenius, Harmoniæ cap. 15. Augustinus apud Thomam in hunc locum, *Pertinet ad sanam doctrinam, quando habet homo quod faciat, non tentare Dominum Deum suum*.

XXVIII. Quid ergo dicemus Eremitas facere, qui, cum dictum sit, non tantum, non esse bonum homini solum esse, Geneseos 2. verum etiam Ecclesiæ stis 4. *Va homini soli: quia cum ceciderit, non habet subleuantem se*. Tamen abducatur se quam possunt longissime ab omni humano commercio? Qui nullam habent rationem vllius periculi, sed precipitant sese temere? Antonius inclusus vna semimortuus est inuentus: & tamen reportatus in cellam, iussit se in vnam referri: & *Ecce, inquit, ego hic sum Antonius, non fugio vestra certamina* (Demones alloquebatur: a quibus fuerat cæsus) *etsi maiora faciatis, nullus me separabit à charitate Christi*. Et post iteratam pugnam *Vbi eras, bone Iesu vbi eras? Quare non adfuisi ut sanares vulnera mea? Potuit magis quisquam profiteri se de induitina tentate Christum? Nam, quis cogebat in vnam includi? Nam vbi deficit humana ratio* (inquit Lucas Brugenis) *commendare se debet homo Deo, eiusque subiicere se voluntati: & paratus in omne quod ipse placuerit, sperare auxilium ipsius*. Ad hunc modum Christus Dominus, exclamauit, *Deus mi, Deus mi, quare dereliquisti me?* Sed sponte propria, & tantum, quia libet, qui induit se in grauitima pericula, inque jis positus vltra omnem auxilij spem, qui à Deo tanquam ex sponcione auxilium postulat, nã ille pius non est. Recte Chrysostomus in eadem Christi verba, *τὸ ἰαυτὸς πρὸ τῆς ταύ φάσης ἦν, ὡς κενὸς, τὸς ἀνοίοντες* (Ἐ διαβόλων) *φάδων ἦν, seipsum in precipitia, ac prærupta proicere, diabolica est caserna*.

XXIX. Satis nunc esto abusu. Nam, etsi potest in infinitum augeri catalogus: maxime, si inquiras in degenerem Papisticorum Monachorum vitam, & cumules vitia, quæ, etsi per accidens inducta sunt, tamen ita inueterauerunt, ut iam transierint in naturam: tamen mihi satis superque sunt capita, quæ vel vniuersalia sunt: vel certe fuere ab initio: ac tum, cum videbatur aliquid esse minus mali. Enimvero, si in ipsis rei iniitiis tantum fuit non boni: facile conicias, quid tum esse possit, cum omnia abierunt in peius.

FINIS LIBRI VIGESIMI.



T O M I